

JCB


TSv
GAUDEO
John Carter Brown.







INDIÆ ORIENTALIS
PARS SEPTIMA;

Nauigationes duas,

Primam, trium Annorum, à Georgio Spilbergio, trium nauium præfecto, Ann. 1601. ex Selandia in Indiam Orientalem susceptam:

Alteram, nouem Annorum, à Casparo Balby, Gemmario Veneto, Anno 1579. ex Alepo Babyloniam versus, & inde porro ad regnum Pegu vsque continuatam, continens.

Omnium, quæ illi quidem ad Annum 1604. huic vero ad Annum 1588. vsque acciderunt, commemoratione; Regum item, locorum, populorum, rituumque variorum descriptione addita.

Auctore

M. GOTARDO ARTHVS Dantiscano.

Omnia elegantißimis in æs incisis iconibus illustrata & in lucem emissa,


à

IOANNE THEODORO ET IOANNE Israële de Bry, fratribus germanis.

Francofurti typis VVolffgangi Richteri.

Anno 1606.

REVERENDISSIMO ILLVSTRISSIMOQVE PRINCIPI AC DOMINO, DOMINO IOANNI SWICHARDO, Archiepiſcopo Moguntino, S. Romani Imperii per Germaniam Archicancellario & Principi Electori, &c. Dn. ſuo clementiſſimo.



NVllis hactenus, Reuerendiſſime & Illuſtriſſime Princeps Elector, parcentes vel laboribus vel ſumptibus, partes Orientalis Indiæ ſex in lucem emiſimus, communicantes lectori, quicquid ab Auctoribus, qui Indiæ huius regionibus variis perluſtrandis operam dederunt, conſignatum ad noſtras quidem manus peruenit. Cum vero non ſatis ſit bene cœpiſſe, ſed bene cœpta abſoluere & ad finem perducere oporteat, animaduerſum autem à nobis hactenus fuerit, hanc noſtram qualemcunq; operam non vſque adeo ingratam lectori fuiſſe, proferimus iam etiam, & in lucem emittimus partem huius operis ſeptimam, eſtq; nauigatio à quodam Georgio Spilbergio, trium nauium præfecto, in Orientalem Indiam ſuſcepta, hiſtoriam, ob nouarum rerum commemorationem, populorumq; & regni Celon *deſcriptionem, lectu non ingratam & iniucundam continens.*

Cæterum cum hiſtoria hæc breuior eſſet, quam quæ tomum integrum abſolueret atque compleret, verſaretur vero tum, cum hanc acciperemus, ſub manibus, nauigationis cuiuſdam nouennalis, à Gemmario quodam Veneto in Orientalem Indiam ſuſceptæ, deſcriptio, hanc cum illa coniunctam vno lectori tomo exhibere viſum eſt, ita tamen, vt vtraq; hiſtoria ſuis diſtincta terminis in lucem prodiret, illa quidem priori loco collocata, quod recentior eſſet, & non ita pridem à Georgio Spilbergio, Anno nempe 1601. inſtituta, qui, quid à Luſitanis partim, partim vero ab Indianis, continuo trium Annorum decurſu expertus ſit, quomodo à Rege in Candy *acceptus*

fuerit, quid lucri ex nauigatione sua perceperit, & quantis onustus bonis domum redierit, compendio quasi hinc cognoscere licet facile. Huic porro posteriorem locum dedimus, quod non ita noua & recens, sed longe veterior sit, à Casparo nempe Balbio Gemmario quodam Veneto, An. 1579. suscepta, & integro nouennio, ad annum nempe 1588. continuata, quo tempore quæ quantaq; perpessus is fuerit, mirabitur scio nobiscum, historiam quisquis legendo ad finem perduxerit.

Fuit quidem posterior hæc historia ante annos quindecim plus minus Italica lingua impressa & diuulgata, Latino tamen idiomate nunquam, quod nobis quidem constaret, donata visa est, quamuis vtilis non minus, quam iucunda sit cognitu. Vtilis quidem illis, qui nauigationem hanc ipsimet forte etiam experiri aliquando, vel commercia per alios his in locis exercere desiderant, vt cognoscant hinc quo tractu per Euphratem fluminaq; alia & mare ipsum nauigare, quæ pericula euitare, quosq; scopulos declinare, ni naufragium facere velint, & quomodo à piratis prædonibusq; sese munire & tueri debeant; intelligant item quid quibusq; in locis vectigalis soluere, qualesque in munera & honoraria facere sumptus necesse sit, vt ponderum, nummorum, mensurarumq; locis omnibus receptarum rationem, magna diligentia hic annotatam taceam, quæ omnia quam ex re peregrinantium sit nosse, vel is monere quemcunque potest, qui scripsit:

Exemplo alterius qui sapit, ille sapit.

Cui vero non omnia hæc in otio cognoscere, regna & vrbes tam longe remotas & dißitas intueri, magnificentiamque Regum, & populorum variorum mores superstitionesq; contemplari volupe & iucundum sit? Voluptatis certe ex lectione hac plus quam ex intuitu Gemmarius ipsemet aliquando expertus est, omnes percepturos, nihil quicquam dubitamus.


Tametsi vero Ioann. Hugo Lindschottanus æque longum in Orientali India tempus triuerit, vnde prolixam etiam satis & copiosam itineris sui historiam descripsit, quam secunda, tertia & quarta operis huius nostri parte in lucem dedimus: verisimile tamen videtur, eum in Goa *maximam temporis partem commoratum esse. Præterquam enim quod historiam regni* Pegu *vix attigit, habet etiam aliquid, huic quidem descriptioni aliquo modo repugnans, vt appareat, eum relationibus potius aliorum, quam experientia propria in commentario suo vsum esse, nec id quidem nouo exemplo, cum ætas nostra omnibus propria experientia cognoscendis nequaquam sufficiens sit. Adiecimus vero huic quoque parti icones & imagines in æs pulcherrime incisas, spe certa fore, vt maiorem hinc lector voluptatem percipiat, & alacritate etiam sua nobis ad maiora, quæ sub manibus habemus, perficienda calcar & incitamentum addat.*

Cæterum quemadmodum superiores partes illustribus semper à nobis personis, & inter illas antecessoribus etiam R.V.C. reuerendißimis & illustrißimis, nuncupatæ & transmissæ sunt, quibus conatus hic noster gratus semper & acceptus fuit; sic præsentem hanc partem septimam R.V.C. patrocinio & tutelæ committere placuit, quod eam quoque singulari nouitatis studio teneri, & rerum exoticarum transmarinarumque descriptionibus delectari non diffideremus. Quare historiam hanc, propter rerum nouitatem, raritatem & varietatem cognitu lectuque iucundißimam simul & vtilißimam, R.V.C. vt clementi, & eo quidem animo, quo optima quæq; complecti solet, accipiat, maiorem in modum submisse rogamus, R.V.C. vitam longæuam, valetudinem stabilem, imperium quietum, subditos felices & deuotos, deuote precantes. Francofurti ad Mœnum, Anno 1606. Calend. Septemb.

R. & illustr. Cels. V.

humilimi clientes

Ioan. Theodorus & Ioan. Israël de Bry, fratres.



INDIÆ ORIENTALIS, BREVIS ET DILVCIDÆ EORVM, QVÆ TRIBVS NAVIBVS, EX Campovera Selandiæ, ſub imperio & adminiſtratione Georgii Spilbergii in Indiam Orientalem proficiſcentibus, toto itinere & nauigationis iſtius tempore acciderunt, Commemorationis

PARS SEPTIMA.



VB initium Maij, die nempe quinto An. 1601. Hollandorum aliqui tribus nauibus, quæ dicebantur *Aries, Ouis*, & *Agnus*, ex *Campouera* Selandiæ, Indiam Orientalem petituri, ſoluentes, ſub veſperam eius diei ad portum, inter *Doueram* & *Caletum*, intermedium appulerunt, cumque propter tempeſtates aduerſas aliter non poſſent, nono Maii, *Dortmuidam* aſſecuti, ad 14. vſque Maii diem ibi ſubſtiterunt, naui minori reparãdæ operam dantes, quæ ex tempeſtatibus modo dictis vitium aliquod contraxerat, cumq; panes aliqui ab irrumpentibus aquis periiſſent, abiectis illis, alios ſibi compararunt, de commeatu & rebus neceſſariis quantum poterant ſibi proſpicientes. Soluentes autem iterum, *Palmam* quidem Inſulam prætervecti, curſum ad *Capo Verde* direxerunt, quo cum 10. Iulii aduenirent, adminiſtrator quidem generalis Celocem eadem adhuc veſpera parari, & rebus neceſſariis muniri iubet, ſequenti ſtatim die *Puorto Dale* petiturus, vt quæ in mandatis habebat, ibi expediret. *Naues quæ & quando in Selandiã ſoluerint.*

Vndecimo igitur Iunii à *Capo Verde* vna naui ſoluens Præfectus, cum non procul à *Refriſco* abeſſet, nauigia tria Gallica offendens, quid nauium in *Porto Dale* ſubſiſteret, quærit? Reſpondent Galli, nullas ſeſe ibi naues reliquiſſe. Verum progreſſus paululum Præfectus, cum à *Porto Dale* iam non abeſſet longius, reſpiciens forte, tres animaduertit naues ab anchora ibi hærentes, quæ eodem die aduenerant, *Rio de Camby* petituræ. Nihil autem periculi extimeſcens Præfectus, cum ſciret liberum eſſe nationi cuilibet in portu iſto appellere, progreditur audacter. At qui in nauibus illis erant ad tormenta ſtatim conuerſi, arcere eum aditu modis omnibus conabantur, qui abſtinere primum à tormentis decreuerat, at cum inſtare Luſitanos, & à conatu ſuo abſtinere non velle cerneret, reſpondendum ipſis omnino ſtatuebat, factoq; in eos impetu, tanto cum illis feruore decertauit, vt niſi qui in littore erant Luſitani periclitantibus ſubueniſſent, euadere periculum vix potuiſſent. *Conflictus præfecti cum Luſitanis ad Puorto Dale.*

 tuiſſent.

tuiſſent. Confluentibus igitur ad portum magna copia Luſitanis, cum inferiorem ſeſe viribus iſtis Præfectus cerneret, & glande plumbea in dextro brachio percuſſus eſſet, abſtinere tandem pugna, & recedere cum ſuis coactus eſt. Erant ex Luſitanis trucidati quidem vnus atq; alter, vulnerati verò quam plurimi. At Præfectus conuerſis velis *Refriſco* appropinquans, ſcaphā ingreſſus eſt, naui *portum Dale* verſus iterum dimiſſa.

Præfectus ab Æthiopibus quibusdam veſtimentis exuitur.

Conſtituerat Præfectus, miſſo ex *Refriſco* ad *Capo Verde* nuncio, duabus quæ ibi ſubſtiterant nauibus ſignificare, vt ſoluentes quamprimum ad *portum Dale* auxilio ſibi aduerſus Luſitanos venirent. Sed nauis vix dum dimiſſa, Æthiopes quidam, aliquot *Canois* aduecti, ipſam adoriebantur, trucidatoque quos ſecum habebat miniſtrorum altero, veſtitu eum exuebant, & vulnus haud leue vtrique manui infligebant. Elapſus ergo tandem ex ipſorum manibus, terra *Refriſcum* petiit, vbi à Gallis quibuſdam humaniter acceptus, & veſtimentis iterum indutus eſt, vulneribus à chirurgo obligatis atque ſanatis. Erat hic fortuitus quaſi caſus, qui præter omnem expectationem ipſi acciderat, Æthiopibus eius loci amicitiam & familiaritatem cum Gallis & Hollandis colentibus. Cæterum Præfectus miniſtro quodam nautico, terra ad naues in *Capo Verde* ſubſiſtentes dimiſſo, vt *portum Dale* verſus contenderet, ipſis denunciauit. Itaque decimo tertio Iunii, naues prædictæ ex *Capo Verde* ſoluentes, cum non procul à *Refriſco* abeſſent, Præfectumque ſuum ex Gallorum nauibus allatum ſibi coniunxiſſent, *portum Dale* verſus progreſſæ ſunt. Verum enimvero vnicam ſolummodo nauem, & in ea præter ferri *Millieque* paululum, nihil inuenientes, ne moram ibi plus iuſto necterent, Petrus quidam Cornelius, de mandato Præfecti, in terram deſcendens, ab *Alcayre* & Luſitanis ibi degentibus amicè acceptus eſt, qui agnito delicto ſuo, cum mentem Præfecti probè percepiſſent, recepta ab Hollandis naui ſua, de rebus ad recreationem & commeatum pertinentibus quam optimè ſibi proſpiciendi poteſtatem ipſis fecerunt, vnde ad 19. vſque Iunii ibi ſubſiſtentes, quæ neceſſaria videbantur, comportarunt omnia.

Naues Hollandicæ ad portum Dale adueniunt.

Hoc facto ex *Puorto Dale* diſcedentes, conuerſis iterum velis, *Refriſcum* petierunt, ibique ſcapham ab Æthiopibus Præfecto non ita pridem ereptam à Gallis, ſoluto quod pro ea expoſuerant precio, recuperarunt, progrediebantur autem ſtatim, curſu ſuo Occaſum verſus directo, ſic enim Præfectus Guionlefortio ſuo Viceadmirali, & nauium moderatoribus omnibus ſeriò iniunxerat, vt, cum ipſe ex vulneribus decumbens adeſſe gubernationi non poſſet, id ſummo ſtudio darent operam, vt iuxta Salis Inſulas Occaſum verſus curſum tenerent, ne ad littus *Guineæ* forte impingerent, quemadmodum iſthic loci accidiſſe ſibi haud raro Præfectus meminerat.

Deferuntur ad Capo de Montes.

Circa veſperam autem 10. Iulii, terra ipſis viſa eſt, cumque ab ea curſum reflexiſſent ad littus *Capo de Montes*, delati ſunt, quod vti ne fieret, præcauerent, ſummo eos ſtudio Præfectus paulo ante monuerat. Cæterum ſequenti die terram iterum videntes, cum vix miliaris ſpacio ab ea abeſſent, ex rupe quadam animaduerterunt, *Capo de Bayzos* eam eſſe, quod tribus ferè miliaribus à *Rio de Zeſto* aberat. Præfectus igitur 20. Iulii cum vno ferè gradu ab Æquinoctiali linea abeſſe ſe videret, conuocatis Subpræfectis, nauiumque Moderatoribus omnibus, cum Viceadmirali & Cornelio Speccio Commiſſario, deliberationem inſtituit, vtrum ex re ſua fore putarent, ſi iter ad Sancti Thomæ dirigerent Inſulam, vbi

cum

eum locum istum proximum sibi viderent, communibus votis omnes concluserunt, præ aliis eum eligendum, eoq; modis omnibus contendendum esse, si forte cibariorum aliquid recentium ibi nancisci possent, siquidem ad littus *Guineæ* sese iam delatos viderent.

Attingebant 23. Iulii æquinoctialem lineam, vlteriusq; paulo progressi, Viceadmiralem cum Celoce ex conspectu amittebant: sed reuertebatur ad eos nauis vtraque 26. Iulii, cumque imminere sese Insulæ viderent, quam *Annabon* vocant, littus ibi legendum censebant, missoque statim ad incolas istius loci nuncio, vti sibi de recenti victu prospicere permitteretur rogabant. Quo facilius autem id obtinerent, datis ad Lusitanos literis, Lysabona sese venire significabant, merces à *Sobrecargo* Regis Hispanici Procuratore acceptas, Brasiliam aducturi. Cum igitur aduerso vento ad locum hunc delati essent, sperare sese cibaria sibi ab ipsis tanquam amicis non denegatum iri. Mittebant autem ipsis simul, *Sobrecargo* Procuratoris Regii nomine, munusculum aliquod, in cuius recompensationem malorum aureorum vasculum receperunt, cum responso per literas gratificari sese illis in hac petitione non velle, qua quidem etiam in sententia constantes permanebant, licet vti eam mutarent, misso postmodum ministro aliquo, qui Regis nomine iter isthac paulo ante fecerat, multis modis rogarentur. Videns igitur Præfectus frustra sese tentare omnia, nec perficere aliquid apud Lusitanos istos rogando posse, ex Viceadmirali & Celocis Moderatore quærit, putarentne aquæ recentis sese satis habituros, donec Caput bonæ spei assequerentur, qui parum superesse, & Celocem quidem inopia eius laborare maxima, cùm respondissent, inito cum Subpræfectis consilio, vi summa tentandum decreuit, an comparare sibi quibus egerent possent. Nauibus igitur quam proximè ad littus applicatis, vt tormentis assequi oppidulum possent, scapham quadraginta armatis repletam prouocatum ex oppido Lusitanos dimittit, hac tamen interminatione addita, ne, nisi occasione captata commodissima, qua impetus sine magna populi iactura fieret, quid inceptarent facile. Verùm cum à Lusitanis non solum fortiter ex oppido resistentibus, sed & à fluctuum magnitudine, difficultas ipsis tanta obiiceretur, vt vix profecturi aliquid viderentur, mutato statim consilio, discedendum potius re infecta Præfectus, quam præsentissimo suos exponendos periculo censuit. Itaque vigesimo octauo Iulii, postquam pœnas ab Abrahamo quodam cognomento *Engels*, ob tentatam in naui Viceadmiralis seditionem, sumpsissent, ab Insula *Annabon* soluentes, cursum ad S. Thomæ dirigendum statuerunt, cum præsertim & propter ventorum inclementiam aliter non possent, & refectione admodum indigerent, sperabant enim omnino se & recentes aquæ & cibariorum recentium participes ibi certo certius futuros.

Veniunt ad Insulam Annabon, & quid ibi porrò acciderit.

Aperiebat fere ipsis 31. Iulii desiderata S. Thomæ Insula, verum Lusitanis multa tormentorum displosione ex Castello furentibus, applicare ibi non audebant; itaq; cum nauigia aliquot in portu hærere cernerent, constituebat quidem Præfectus impetum in ea facere, sed Subpræfectis id dissuadentibus, quod multi morbo correpti male haberent, & vero vis tanta sine iactura & dispedio populi superatu impossibilis videretur, mutato consilio, progredi & nauigationem continuare coactus est.

Prætervehuntur Insulam S. Thomæ.

Factum est autem primo Augusti die, vt littus *Guineæ* ipsis aperiretur vnà cum duabus paruis insulis, itaq; petere illas pleno cursu cœperunt, littus eadem vespere ex latere *Corisco* australi legere volentes. Cæterum nocte præ-

Ad Corisco Insulam appellunt.

ſenti, cum locum iſtum multis latentibus ſcopulis formidabilem eſſe eos non lateret, proiecta ad ſeptem orgyas anchora, ſubſiſtere in mari cogebantur. Progrediebantur autem ſequenti ſtatim die ad angulum Inſulę ſeptentrionalem, inueniebantq; ibi nauem Selandicam, nomine Sphæram mundi, ad Balthaſarem de Moucheron pertinentem. Itaque Commiſſarium ſtatim & nauarchum iſtius nauis ad ſe allatum miſerunt. Veniebat autem cum eis vir quidam, quem Theodoricus à Wees ſex ſtipatum militibus in maiori *Coriſco* reliquerat, vt naues à Balthaſare de Moucheron eo aduentantes cuſtodiret, & de illis, quæ in *Bouley* ſiue maiori *Coriſco* acciderant, eas admoneret. Cognouit igitur Præfectus ex viro iſto, quæ ibi accidiſſent inter Gubernatorem Theodoricum à Wees & milites aliquot ſuos, quæ omnia ad Balthaſarem perſcripta & cum prædicta Sphæra mundi tranſmittenda erant. Cæterùm Præfectus vt Inſulæ iſtius rationem & vires plenius planiusq; cognoſceret, Viceadmiralem cum Capitaneo Iungerhelt & militibus aliquot tormentariis exploratum omnia emiſit.

Commeatu ſeſe in Coriſco Inſula inſtruunt.

Ipſi autem ad decimum vſque Auguſti in maiori *Coriſco* ſubſiſtentes, de aqua & recentibus cibariis ſibi modis omnibus proſpexerunt, cumque ex illis, qui ad *Annabon* Inſulam vulnerati erant, quidam interea temporis moreretur, eo in prædicta Inſula ſepulto, literas capſulæ incluſas ab arbore ibi ſuſpenderunt, petentes vt Theodoricus à Wees, ſi fortè ad Inſulam iſtam reuerteretur, milites ibi relictos ſecum iterum abduceret. Poſtquam verò Guilielmus Barte militum ibi relictorum Præfectus, reditum Theodorici expectare recuſans, Sphæram mundi iam inde diſceſſurus conſcendiſſet, & vero nauis iſtius moderator grauaretur admodum, relictos ibi milites ſecum omnes abducere, quod commeatu pro omnibus ſufficienti inſtructus non eſſet, Præfectus eorum miſertus, ſuis adnumeratos ſecum abduxit.

Veniunt ad Capo lopo Gōſalues.

Diſcedentes autem 11. Auguſti die ab Inſula *Coriſco*, curſum ſuum *Capo Lopo Gonſalues* verſus inſtituerunt, cumque in itinere in nauem quandam Amſtelrodamiam eundem locum petentem incidiſſent, ipſi quidem 17. dicta autem Amſtelrodamia nauis 20. Auguſti, modo nominatum *Capo* apprehenderunt. Habebat hæc nauis moderatorem quendam Iohannem Franciſcum Amſtelrodamium, veniebat autem à littore aureo, & ibi 300. plus minus libras auri puri acquiſierat. Cæterum non ſolū amice ſe inuicem accipiebāt, ſed & operas ſibi præſtabant mutuas, ſubleuantes alter alterius neceſſitatem modis quibus poterant omnibus, cumq; ad 30. vſque Auguſti diem ibi commorati fuiſſent, ſoluentes iterum, vlterius progreſſi ſunt.

Conſilium capiunt de itinere feliciter promouendo.

Videntes porrò tantum ſibi itineris ſupereſſe, vt illud breui temporis ſpacio abſoluere non poſſent, ſeque vento contrario multum in itinere ſuo retardari, nec poſſe tempeſtiuè vel *Achim* vel alium in India Orientali locum ſuo propoſito conuenientem cōtingere, certam alimentorum in dies ſingulos ſingulis diſtribuendorum rationem conſtituere coacti ſunt. Sed & ne quid in ſe quod ad itineris promotionem pertineret deſiderari paterentur, 24. Septembris die conuenerunt in Viceadmiralis naui, Pręfectus ipſemet generalis Georgius à Spielberg, Viceadmiralis Guion le fortius, Commiſſarius Cornelius Speccius, & Capitaneus Guilielmus Ioannis, de itineris ratione recte inſtituenda & feliciter abſoluenda deliberaturi, req; diligenter examinata, tandem concluſerunt.

Qua ratione iter ſuum continuare & abſoluere conſtituerint.

Principio quidem, quamprimum id per Dei & ventorum gratiam liceret, curſum verſus littus *Monopotappe* dirigendum, atque ibi locum aliquem ſub eleuatione 28. graduum, *Medagos de auro* dictum, petendum eſſe, hinc

ad

ad *Capo S. Mariæ*, cuius eleuatio 26. graduum eſt, & paruam quandam Inſulam ſibi conterminam habet, quæ *Isla de Vacques* dicta, in tabula vniuerſali non reperitur, contendendum. Peracta ibi negotiatione, Inſulam quandam *Magotte*, ſub eleuatione 12. graduum, petendam, idq; iuxta rationem itineris in Selandia ſibi à principalibus ſuis prçſcriptam, à qua ſibi diſcedendum nefas putarent. Deinde ſi fortè contingeret aliquem à præſcripta ratione, & à nauibus aliis per tempeſtatem aberrare, ei ſummo ſtudio enitendum eſſe, vt prædictum locum *Medagos de auro* ſub eleuatione 28. graduum aſſequeretur, ibique ei expectandum & ſubſiſtendum ad minimum 14. dierum ſpacio, quo finito ſi ſocias naues aduentare interea non videat, locum ei alterum ſub eleuatione 26. graduum, *Capo Maria* nempe, petendũ eſſe, relictis tamen priori in loco literis, quibus de diſceſſu iſto aduentantes poſtmodum naues edocerentur, commorandum autem & in *Capo Maria* ad dies 14. & poſtmodum recta Inſulam *Magotte* petendam, ſubſiſtendo ibi integro menſis vnius ſpacio. Tertiò, ſi fortè vna atque altera prædictarum nauium ad continentem *Monopotappe* terram, ſub eleuatione 28. vel 26. graduum, delata, deprehenderet locum iſtum negotiationibus ſuis conuenientem admodum & perquam oportunum eſſe, liberum ei eſſe debere, negotiationis ibi initium facere, eamque etiam ad plures dies protrahere & cõtinuare, ita tamen, ne intermittat finita negotiatione ad Inſulam *Magotte* iter ſuum conuertere: ibi enim quid facto porrò opus ſit, vel ex literis, vel ex relictis aliquot perſonis, cognoſcendum eſſe, licet naues reliquæ abierint.

Porrò 17. Octobris die congregato in Admiralis naui militari Senatu, diligens in omnes inquiſitio facta eſt, ſi qui fortè contra articulos ſibi à Comite Mauritio & Principalibus aliis traditos, quos ſanctè ſeruare iurauerant, deliquiſſent. Cumque tranſgreſſores quidam deprehenderentur, pœna ipſis pro ratione delicti irrogata eſt. Tertio autem Nouembris Præfectus generalis omnibus nauium gubernatoribus denunciari iuſſit, vt quanto interuallo à *Capo de Bona Eſperance* abeſſe ſeſe putarent, quilibet ſententiam ſuam audacter exponeret. Quod cum feciſſent ſinguli, cœpit ipſis 15. Nouembris continens Africç terra, ſub eleuatione 32. graduum, apparere, proiectisq; in ſinum S. Helenæ anchoris, ægrè poſtmodum mouere inde potuerunt. Quamuis enim non ſemel ſequentib. diebus anchoris leuatis diſceſſum pararent, tempeſtate tamen coacti ad ſinum modo dictum reuerſi ſunt. Interim quidam ad littus deſcendentes ingentem piſcium copiam ceperunt, homines vero nullos animaduertere poterant, quamuis cerui, lepores, porci, &c. haud pauci conſpicerentur. Cæterum cum ex naui fumus hinc inde in littore obſeruaretur, vnde coniectura de hominum præſentia fieri haud leuis poſſet, miſſis aliquibus, qui ferramenta quædam cum ſylueſtribus, ſi quos fortè offenderent, hominibus permutarent, ſpes aliqua affulgere Hollandis cœpit, fore, vt vel pecudes aliquot, vel aliud quid acquirerent. At cum confecto fere miliari integro ignem quidem diuerſis ardere locis videntes, homines animaduertere nullos potuiſſent, ad naues iterum reuerſi ſunt, magnam piſcium, quos *Huygen* vocant, copiam ſecum afferentes, qui tanta multitudine in littore iſto inueniebantur, vt vltra 375. vna captura comprehenſos aqua extraxerint. Cum igitur homines animaduertere nullos poſſent, ſoluentes iterum 20. Nouembris ſecundum littus ob ventorum aduerſitatem progreſſi ſunt, donec 28. eiuſdem menſis die, ſuperato *Aquado Saldamo*, Caput bonç ſpei ipſis appareret, vna cum Inſula quadam, cui Eliſabethæ nomen Præfectus dedit. Sub veſperam autem ibi appellen-

Sinum S. Helenæ ingrediuntur.

appellentes, ingentem quasi vrsorum, vaccarum, ouium & aliorum animantium vlulatum audiuerunt, qui terrorem ipsis haud exiguum nocte illa incussit.

Elisabetha Insulæ descriptio.

Cæterùm sequenti die, qui 29. Nouemb. erat in terram descendentes, quæ Insulæ istius ratio & commoditas esset, explorarunt. Itaque Insula isthæc Elisabetha, duobus fermè miliaribus à continente distans, sub eleuatione 32¾ graduum sita est. Abest autem 20. ferè miliaribus versus Septentrionē à *Capo de bon Esperance*. Eius circumferentia miliaris fermè vnius est, terram habens versus Occidentem admodum paludosam, versus Orientem autem, vbi Hollandi substiterant, bonam & arenosam, locus non admodum eleuatus, sed depressus & humilis est, multis herbis, gramine floribusque odoriferis ornatus, lignis tamen & aqua dulci carens; inueniuntur ibi lupi vel vrsi potius marini, nam vrsorum magis quam luporum formam referunt. Insidebant autem passim petris Insulæ exterioribus, colore, quemadmodum etiam capitibus & gestibus aliis, vrsos omnino referebant, præterquam quod ore erāt paulùlum acutiori, & posteriori corporis parte claudicantes, pedes enim posteriores manibus similes habebant flaccidos omnino, ita vt trahere eos post se cogerentur. Sed licet officium suum pedes isti non facerent, currendo tamen vel homines præuertere poterant. Aspectu alioqui sunt truculento & horribili, dentib. adeo valentes, vt vel tribus viris negotium facessere simul & semel possint, spem autem omnem in celeritate pedum repositam habent, qua post reluctationem haud exiguam tandem vtuntur. Interficiebantur autem ab Hollandis magno numero, quemadmodum etiam aliud quoddam animantium genus, nostratibus cuniculis non absimile, Phœnicei coloris, saporis vero optimi, cum cibo præterquam virentibus herbis alio non vtantur. Præter has autem feras bestias, auium haud exigua sese Hollandis offerebat copia, maximè vero earum, quas *Pinguins* vocant, item quas *Scholuers* Hollandi dicunt. Aues sunt anatum magnitudine, colore nigro, alimentum haud contemnendum præbentes. Tanta autem affluebant copia, vt vix sustinere earum impetum Hollandi possent, nullos enim credo homines antea viderant: verisimile enim non videtur, naues ibi vnquam, nisi fortuito aliquo casu, quod his quoq; accidit, appulisse. Loci alioqui oportunitas bona videbatur, & recipiendis nauib. haud inconueniens, dummodo aquæ non destitueretur beneficio, quam fodiendo tamen inueniri posse Hollandi sibi persuadebant. Posset etiā adipis sutorii ex vrsorum marinorum pinguedine tanta ibi breui temporis spacio colligi copia, vt naui haud mediocri onerandæ sufficeret.

Veniunt ad Insulam Corneliam.

Ab hac Insula vltimo Nouembr. soluentes Hollandi cum mediocri vento progrediebantur. Apparebat autem ipsis 2. Decembris die mons Mensalis, sub quo sinus est recipiendis nauibus admodum conueniens, itaque, vt sese aliquo modo recrearent, ad sinum istum modis omnibus contendebant. Circa meridiem autem ad Insulam Corneliam appellebant, in qua cum aliquot aues, quas *Pinguins* vocant, cepissent, iterum progressi, postridie eius diei prædictum mensalem sinum assecuti sunt, quem diu quidem desiderauerant, sperantes se aquam ibi recentem, carnesque & alia ad recreationem necessaria abunde inuenturos. Inueniebant autem ibi Celocem suam, quæ ante duos dies eo aduentauerat, missis igitur in profundum anchoris, Præfectus quidem in terram descendens locum inueniebat figendis tentoriis perquam oportunum, quibus paratis & explicatis, ægrotos, qui in Admirali & Celoce erant, deferri in

Veniunt ad sinum Mensalem.

terram

terram curauit, si fortè amissam valetudinem recuperare possent, qui ne ab agrestium & barbarorum incursu periculum aliquod metuere cogerentur, constitutis ante prædicta tentoria duobus tormentis, excubias ibi qui agerent, quosdam illis adiunxit.

Insula Corneliæ qualitas.

Insula Cornelia, cuius paulo ante mentionem fecimus, ab Elisabetha Insula, de qua ante diximus, quinque fere miliaribus versus Austrum abest, à sinu autem mensali vno, Elisabethæ quoad animalia & alia ferè similis, excepto tamen, quod magnitudine, eleuatione, & florum amœnitate eam superet, & cuniculos, quales Elisabetha fouet, non agnoscat. In sinu autem mensali Hollandi quarto Decembris die, traductis ad littus scaphis, omnia adornabant, vt aqua recenti, & rebus necessariis aliis quamprimum sese instruerent. Veniebant autem Æthiopes quidam ad tentoria, cumque beneuolentiam suam illustribus signis declarantes, spem Hollandis fecissent, se pecudes & cibaria alia abundè allaturos, Præfectus vnumquemque fasciculo vitrearum sphærularum, & haustu vini vno atque altero donatum dimisit, qui hilares sese & lætos propterea declarabant.

Mutatio quædam officiorum in nauibus suscipitur.

Reuertebatur ad eos 5. Decembris die Viceadmiralis, quem à 20. Nouembris die non viderant, quòd cum ex sinu S. Helenæ soluissent, ventorum iniuria ab aliis aberrauerat, sequenti vero die aliquos in Celoce ab officio remouit, propterea quod singularem fastum semel atque iterum declarantes, multa superbè & insolenter egissent, aliis in locum ipsorum substitutis. Re autem vlterius deliberata, consultum Præfecto visum est, vt Capitaneus Guilielmus Iansen ex Celoce ad clauum Admiralis moderandum vocaretur, ipsi vero in Celoce succederet Cornelius Speccius, Iodocus autem Breem Speccio, & huic Matthæus quidam Schmidius, propterea, quod ex *Madagascar* ad Insulas *Comoræ* nauigandum esset, cuius quidem nauigationis ratio Matthæo Schmidio præ cæteris cognita & perspecta erat, vtpote, qui ante hæc tempora etiam iter eo fecisset, & propterea si cum Celoce præcederet, reliquas naues ducere quam optimè posset.

Prospiciunt sibi de aqua recenti, & purgandis nauibus student.

Ab octauo ad decimum tertium vsque Decembris diem diligenter admodum in convehenda recenti aqua, reparandisque & purgandis nauibus fuerunt, Præfectus etiam semel atque iterum quosdam emisit quæsitum barbaros illos & syluestres homines, qui de adducendis pecudibus spem ipsis frustraneam fecerant. Verum cum re infecta semper qui emittebantur redirent, operæ precium videbatur Præfecto, vt qui in Celoce erant ad Elisabetham Insulam, cuniculos, pinguinas, & aues alias allatum proficiscerentur, vt dum caro alia non suppeteret, haberent tamen quo vescerentur interim famemq; leuarent. Cæterùm ab illis, qui in tentoriis erant, 14. Decembris ad arma conclamatum est, propterea, quod Æthiopes quidam excubitoribus visi fuerant. Quare Hollandi sumptis statim armis Æthiopes insecuti sunt. Verum enimuero, cùm fugam maturè iterum arripuissent, atq; ita periculi nihil amplius metuendum esset, ad naues irrito conatu reuersi sunt. Aderat iam dies Decemb. 22. quo Præfectus ab vna naui ad alteram trãsiens vniuersos & singulos ad obedientiã cohortatus est, exhibitisq; vnicuique literis ipsius Mauritii manu signatis, rogauit eos, ei fidem datam ne frangerent, præterea Capitaneum nouum Cornelium Speccium, moderatoremq; Celocis Matthæum Schmidium, & alios, de quibus paulo ante dictum, suo quemlibet præfecit muneri.

Sinus hic, in quo hactenus sese cõtinuerant, 15. fere miliarib. Septentrionem

Descriptio sinus mensalis. nem versus à *Capo de bon Esperance* abest, sub eleuatione nimirum 34. graduum & 4. scrupulorum, à Præfecto nomen hoc obtinuit, vt tabularis siue mẽsalis sinus vocaretur à mõte quodã excelso admodũ, qui in vertice planã & quadratam aliquam tabulã seu mensam referens, ad 9. vel 10. miliaria in mare excurrit, & aduentantib. nauibus indicio est, ne sinũ hunc prætereuehantur, qui commodam admodum stationem ipsis præbet, siquidem naues quam proximè ad terram adduci possunt, nec quicquam periculi à ventis & tempestatibus aliis metuere necesse habent. In Orientali *Capo de bon Esperance* plaga fluuius sese quidam in continentem terram extendit limpidissimus, quem Præfectus *Rio de Iacquelina* vocauit. Cumque vix dimidio à sinu hoc miliari abesset, sępe eo excurrentes Hollandi ingentem ibi piscium, Cyprinos nostrates & colore & sapore referentium, copiam ceperunt. Per integros autem tres menses, Octobrem nimirum, Nouembrem & Decembrem australes hic tractus ventos habet tanta cum tempestate & frigore, vt ventis Septentrionalibus in Belgio comparari facilè possint.

Descriptio Capitis bonæ spei. Quod ad regionem Capitis bonæ spei attinet, ea salutaris & bene temperata est, habitationi & variorum fructuum culturæ apta perquam & conueniens. Quamuis enim montosa appareat & collibus multis distincta, interim tamen etiam multis vallibus, syluis, pratisque decorata est, gramina & flores suauissimè olentes magna copia producit, ceruosque & feras bestias alias multo numero nutrit, quæ omnia visu & aspectu longe iucundissima existunt, præterea limpidissimis fontibus scatet quamplurimis, qui non sine gratissimo susurro de montibus altis prorumpentes, fluminibus sese passim insinuant, & cum eis postmodum in mare exonerantur. Abundat insuper ouium, boum, aliorumque animantium copia satis magna, & incolas habet colore subflauo, aspectu truculento, statura mediocri, & macilẽto corpore, pedum magna sunt celeritate, sermonem habent peculiarem, & vestitu ex ceruorum aliorumq; animantium pellibus consuto vtuntur, qui palliis, quibus nos per plateas incedentes vtimur, conferri haud incommodè queat.

Monumentum aliquod in Insula Cornelia statuitur. Cæterum ex sinu hoc 23. Decemb. die soluentes, circa meridiem ad Insulam *Corneliam* appulerunt, vbi missis in profundum anchoris, omnes pariter in terram descenderunt monumentum aliquod ibi relicturi, quod erat huius & alterius quæ quinque ab ea miliaribus abest insularum nomen, illud enim stipiti alligatum Insulæ præfixerunt, delatis simul ex Elisabetha Insula aliquot in eam cuniculis, vt ibi viuentes multiplicarentur. His ita peractis, naues iterum conscendentes progressi sunt, at sequenti 24. Decemb. die, Viceadmiralem ex conspectu amiserunt, itaque ad 16. vsque hinc inde circa Corneliam Insulam oberrantes eum diligenter quæsiuerunt. Cum vero tandem frustra sese tempus perdere, & vero ventum sibi fauere cernerent, cursum suum versus *Capo de bon Esperance* direxerunt, quod 27.

Naues duæ Gallicæ ipsis coniunguntur. Decembris cum sese ipsis apetiret, duas simul naues Gallicas de *S. Malo* venientes sibi coniunxerunt. Admiralius earum erat *Monseur le Berdeliere*, Viceadmiralius autem *Mons. le Connestable de Vitre*, Nauarchus verò *Gwalterus Willeken* natione Belga. Salutabant autem sese inuicem amice admodum, & prefectus cum magno flagraret desiderio cum ipsis colloquẽdi, adiuncto sibi Cornelio Speccio, ad naues eorũ scapha delatus est, quod idem Galli etiam die postero fecerunt, amicè inuicem de rebus variis conferentes. Referebant autem Galli, se in *Annabon*, vbi similiter appulerant, sepulchra aliquot, in iisq; qui ex tribus Hollandicis nauibus interfecti fuerãt, sepultos vidisse, nihil autem periculi sese ibi extimuisse, propterea quod eiusdem

eiusdem cum Lusitanis religionis essent, descendisse igitur in terram, vt officio Missæ interessent, verum à Lusitanis malè admodum acceptos fuisse, qui aliquibus interfectis, aliquos in vincula coniecissent, eosque non nisi ingenti, millium coronatorum, & aliarum non exigui precii mercium, persoluto lytro dimittere voluissent.

Progrediebantur Galli isti aliquo itinere cum Hollandis; sed quia propositum ipsis erat, Ortum versus iuxta *Madagascar*, seu Laurentii Insulam, cursum suum dirigere, ideo 1. Ianuarii Anni 1602. cum sese salutassent, amicè ab inuicem discesserunt. Et quidem coniunctio hæc si diuturnior fuisset, prodesse Hollandis parum potuisset, propterea, quod Hollandis quidem non nisi tres libræ panis in septimanam, & vnica vini mensura in decem dies daretur, Gallis vero adhuc nihil deesset, qui panis quidem quantum volebant, vini vero in septimanam tres mensuras accipiebant, quod ipsum quidem Hollandis malo haud dubiè exemplo futurum fuerat. *Naues Gallicæ ab Hollandicis separantur.*

Quarto & quinto Decembris iuxta terram *de Natalo* progredientes, ingentem tempestatem experti sunt. Terra autem ipsa plana & viridis ab altera quidem parte supra arenarios tumulos in mare excurrit, ab altera autem magis magisque in verticem assurgit. Cernuntur autem in littore isto multa passim flumina miliaris plus minus itinere ab inuicem separata. Et sanè licet scopuli quidem nulli ibi apparerent, rapidissimi tamen subinde fontes in mare sese exonerabant, tanta vehementia, vt nauium cursum inhibere quodammodo viderentur, quæ quidem etiam causa erat, quod à vento vel exiguo, fluctus excitabantur maximi, qui naues non leui exponebant periculo, vnde iuxta littus procedendum ipsis erat vsque ad vndecimum Ianuarii diem. Postmodo cum cursum suum *Monopotappe* vel *Medagos de Auro* versus direxissent, eo fine, vt inde ad *Capo de Sancta Maria* in Insula *de Vacques* progrederentur, atque ita in vno istorum locorum, de quibus 5. Octobris, superioris Anni die iuxta Balthasari de Moucheron & principalium suorum instructionem, inter illos conuenerat, Vice-admiralem expectarent, non poterant tamen ob fluctuum vehementiam illud perficere, itaque vt periculo fluctuum sese tandem eriperent, mare eligere, & cursum *Madagascar* versus conuertere necesse fuit, vt inde postmodum ad Insulas *de Comora* proficiscerentur, vbi similiter vti se expectarent inuicem conclusum erat, si ad prædicta loca pertingere omnino non possent. *Tempestates aduersas experiuntur.*

Progressi igitur ad 25. Ianuarii, cum eleuationem Insulæ *Madagascar* assecuti essent, conuocatis qui ad clauum sedebant omnibus, deliberationem Præfectus instituebat, quomodo cursus in posterum tenendus esset. Decretum vero communi sententia est, vt medio inter *Bayzos de Iudæa*, & *Medagascar* loco progrederentur, cum ventis fauentibus angustias illas superare quam commodissime posse sibi viderentur. Quod si vero fortè mutato vento, cursum mutare necesse esset, interdiu quidem explicato vexillo viridi, nocte vero trium tormentorum displosione, Celocem à Præfecto monendam esse, vt quid facto opus esset, maturè cognosceret. Factum est id à Præfecto generali, cum 27. Ianuarii mutato vento cursus etiam mutandus veniret, quem tum infra *Bayzos de Iudæa*, medio nempe inter *Bayzos* & continentem *Soffala* Regionem instituerunt. Cæterum 29. Ianuarii scapham maiorem militibus quibusdam, rebusque ad sustentationem & munitionem pertinentibus aliis probè instructam Præfectus dimisit, vt perlustratis fontibus illis, quarum plures ibi reperiebantur & loci commodita- *Deliberatio de cursu rectè tenendo.*

tem & incolarum mores explorarent, cognoſcentes, an negotiationes iſthic loci exerceri tuto poſſent, data illis qui in ſcapha erant ſufficienti inſtructione, quam ſecuti errorem euitare, &, ſi fortè naues interea ventis vrgentibus progredi contingeret, illis tamen iterum coniungi quam rectiſſime poſſent.

Appellunt ad littus Regni Soffalæ.

Primo Februarii ad fines *Soffalæ* delati, regionem quidem ex odoratu percipiebant, licet eam nondũ viderent: ſequenti enim primũ die circa veſperam ad littus Regni huius appulerunt, ſubſiſtẽtes integro fermè miliari à terra, ſub eleuatione 18¾ graduum. Cæterũ Æthiopes, iſtius loci incolæ, diſtinctis ignibus & ſignis ipſis annuentes ſignificabant, aduentum eorum ſibi acceptum & gratum eſſe, quare Hollandi ipſis explicato ſtatim vexillo & tormenti diſploſione reſponderunt, vnde colligerent vt amicos non vt hoſtes ſeſe adueniſſe. Tertio autem Februarii miſſa ad littus cymba, ſignificari incolis Præfectus iubebat, ſe mercaturam exercendi cum eis gratia eo aduenisſe, quo fine ipſis ferramenta quædam & merces alias exhibuerunt, qui certis quibuſdam indiciis & verbis Luſitanicis reſpondebant, mercimonia quidem ibi exerceri non poſſe, ſed oportere Hollandos vlterius paulo progredi, nempe ad fluentum *Quama*, vbi Luſitanos, & materiam negotiationibus conuenientem eſſent reperturi. *Aldea* ipſorum *Mourdou* vocabatur, quinque miliaribus Auſtrum verſus à *Quama* diſtans. Nocte autem iſta ingens tempeſtas ventorum, procellarum, & tonitruum exorta eſt, vt duas in Celoce anchoras amitterent.

Magnum periculum ad fluentum Quama.

Progreſſi autem quarto Februarii, iuxta littus ad fluentum *Quama* contenderunt, quo circa veſperam peruenientes, ſcapham ſtatim exploratum, quæ loci illius commoditas eſſet, emiſerunt, quæ propter fluctuum magnitudinem ad nauem redire non potuit, nam & nauis ipſa reſiſtere vehementibus illis fluctibus non potuit, præſertim cum ſolo inhærere paludoſo anchoræ non poſſent, itaque in magno erant periculo, ne forte ad ſcopulum aliquem impingerent, & ſummo conatu ventis fluctibusque per noctem iſtam reſiſtere cogebantur. Die autem facto, cum progredi vlterius conarentur, tantis ſeſe tempeſtatibus inuoluerunt, vt parum abeſſet, quin ad breuia & arenas proiecta naui, vitæ bonorumque omnium iacturam feciſſent, quod Deus tamen clementer tum prohibuit, fecitque vt ad duo vel tria miliaria progreſſi, profunditatem decem fere orgyarum inuenerint, vbi proiecta rurſus in profundum anchora, Celocem quidem & ſcapham ſuam præſtolari decreuerant, ſed cum ſolum eſſet nimis molle & liquidum, inhærere ei anchoræ non poterant, itaque illic iterum ſolutis ortum verſus paulo amplius progreſſi, ſolum tenacius & figendis anchoris magis aptum inuenerunt, vbi ad ſeptimum vſque Februarii ſubſiſtentes, cum Celocem aduentare viderent, verſus *Primeras* Inſulas curſum direxerunt, ſcapha ſua poſt ſe relicta.

Deſcriptio regni Soffalæ.

Regnum *Soffala* inter duo flumina, *Manice* & *Quama*, ſitum, iuxta littus maris extenditur, cuius initium *Soffala* eſt, Inſula nimirum in alterutro dictorum fluuiorum ſita, vnde tota regio nomen ſuum accepit. Reperiuntur autem in *Soffala* Procuratores quidam Luſitanorum, ſed in *Quama* arcem & propugnaculum habent, vbi omnis etiam negotiatio exercetur. Terra humilis eſt & depreſſa, montium expers, & ſyluæ ſi quæ ſunt arbores proceras nullas nouerunt, odoratu prius quam viſu cognoſcitur, propterea ꝙ floribus odoriferis ſit refertiſſima. Incolæ omnes nigri Æthiopes ſunt conſtitutione corporis ſatis bona, & Luſitanis ſubiecti, ꝙ verbis quibuſdam Luſitanicis ſignificabant. Arma, quibus vtuntur, arcus & ſagittæ ſunt. Cæterum

terum vniuerſum hoc littus breuiis & arenis ad fluuium *Quama* vſque refertiſſimum eſt. Solum autem habet putridum, & aquam ob fluctuum vehementiam admodum turbidam. Ipſe vero fluuius *Quama* originem ſuam, vt Ioannes Hugo Lintſchottanus ſcribit, ex *Zagire* palude quadam habere putatur, vnde Nilus etiam ipſe prorumpit. Auro abundans eſt & ebore aliisque precioſiſſimis mercibus, quas pro linteo, ſerico, goſſypio & id genus rebus aliis, incolæ permutare ſolent, qui omnes Æthiopes ſunt Mahometicæ religioni addicti. Inter hæc duo flumina, *Quamâ* nimirum & *Manice*, regnum *Monopotappe* ſitum eſt, quod iuxta Hiſtoricorum quorundam ſententiam Regi quondam Salomoni aurum & ebur magna copia ſuppeditauit, quod quidem à vero non omnino alienum videtur, cum & qui *Comeras* inhabitant, negotiationes ibi exerceant, & ciuitates aliquas ſatis cultas atq; munitas Hollandi ipſimet viderint.

Cæterùm fluentum ſeu *Rio bon Senay*, & Inſulas *Primeras* prætervecti, ad Inſulam *Di Angoras* curſum dirigebant, ſub veſperam autem ſeptimi Februar. exiſtens ſubito tempeſtas propoſitum hoc impediebat. Ea enim per tres integras dies continuata, tanto furore mare concitabat, hominesq; in naui exiſtentes exercebat, vt quamuis adeſſent, qui nauigationes vel per 25. annos continue exercuerant, fateri tamen omnes vno ore cogerentur, nunquam ſeſe ſimilem procellarum, pluuiarumque furorem expertos fuiſſe. Nam & qui nauem regebant, quaſi virgis cæſi videbantur, & qui ad machinas hauſtorias conſtituti, attrahendis ex ſentina aquis ſtudebant, vix reſpirandi ſpacium habebant; fluctus præterea tanto ſeſe inuicem protrudebant impetu, vt præ ingenti quem edebant fragore & ſtrepitu alter alterum in naui exaudire quamuis iuxta eum conſtitutus non poſſet, ſed & nauis ipſa damnum haud leue contraxerat, ita vt panes iam ab aquarum irruptione perire inciperent; & labor omnis, quem impendebant, irritus videretur, itaque & de ſalute ſua iam deſperauerant, & ſingulis momentis mortem expectabant, præſertim cum ſine Carbaſis, in tanta tempeſtate, verſus littus & oram *Medagaſcar* periculoſiſſimum in mari locum, ventis adeò furentibus propellerentur.

Tempeſtatem experiuntur ingētem & periculoſam.

Vndecimo autem die, tempeſtate illa paululum remittente, & Sole iterum exoriente, vela rurſus expandere & ad continuandum iter ſe parare non dubitarunt. Progreſſi igitur iterũ, cum 17. Februar. die Inſulas aliquot ex Comorrhæis viderent, ad vnam earum applicare volebant, profunditate 60. Orgyarum explorata. Accidit autem vt dum anchoras in profundum mittere conarentur, ſubito vento abrepti, ad mare ſeſe iterum conuertere cogerentur. Continebant tamen ſeſe per noctem iſtam ſummo labore in mari, & cum ſequenti die tribus plus minus miliaribus à terra abeſſent, reſpicientes forte nauiculam animaduertunt, ad prædictam Inſulam hærentem, quam ſcapham ſuam eſſe haud fruſtra cogitabant: veniebat enim ea circa meridiem ad nauem, & lætitiam apud omnes haud exiguam excitabat, cum de eius incolumitate iam pridem deſperatum eſſet. Et ſane niſi Deum ipſum ductorem & moderatorem habuiſſent, de ſalute omnium, qui in ſcapha illa erant, actum iam pridem fuiſſet, præterquam enim quod eandem, de qua paulo ante dictum eſt, tempeſtatem experti fuerant, etiam moderatorem ſuũ Georgium Styl, à Luſitanis nempè, in littore fluminis *Quama*, cum alio quodã Ludouico Vogel comprehenſum, amiſerant. Commorati autem in flumine iſto quinque diebus fuerant, quibus ſubinde *Canoes* cum cibariis quibuſdam aduentantes, ſpem ipſis fecerant de moderatore

Scapham ſuam recuperant.

ſuo breui ipſis remittendo, ſed Hollandi blandis eiuſmodi verbis nihil fidentes, oportunitatem nacti diſceſſerant.

Veniunt ad Inſulam Mulaly.

Non fauebat ipſis ventus tum temporis, itaq; ad 21. vſq; Februarii diem in mari oberrantes, tandem ad Inſulam *Mulaly* appulerunt, anchoras ad 20. orgyas dimittentes, interim aliquos cum reti piſcatorio piſcatum ablegabant, qui cum in littore iſtius Inſulæ nihil proficere ſeſe poſſe viderent, vlterius paulo progreſſi in ſcapham incidunt, quam Præfectus ante tres dies ad incolas iſtius loci præmiſerat, viſum, an negotiationes cum illis exerceri amicè poſſent, qui reſponderant, liberum hoc ipſis & permiſſum eſſe omnino debere, mittentes ſimul Hollandis confirmationis maioris ergo cibaria quædam ad recreationem facientia. Sed & 23. Februarii, Interpres quidam cum nobilibus aliquot Regis miniſtris ad nauem veniebant, adducentes ſecum bouem & cibaria alia, pro quibus à Præfecto vitra quædam accipiebant, cumq; ad horas aliquot in naui commorati fuiſſent, honeſtè à Præfecto dimiſſi ſunt, qui duo ſimul pocula vitrea, eximiæ magnitudinis, alterum quidem Turcicum auro certis in locis diſtinctum & exornatum, vt fauorem ipſius retineret. Cæterum prædictus Mertsmannus & alii multis modis perſuadere Præfecto conabantur, vt ſecum in ciuitatem pergeret, affirmantes nihil omnino periculi metuendum ei eſſe, ſed Præfectus quanto ipſi inſtabant vehementius, tanto impugnabat acrius, ſeque in littore eorum reditum expectaturum dicebat. Cum igitur Capitaneus eius loci, gladio iſto muneribusq; aliis acceptis, Præfectum in littore eſſe cognoſceret, egreſſus ſtatim ciuitate, cum multis nobilib. eum amicè accipiebat, offerens ei liberam per vniuerſam Inſulam negotiādi facultatem, promittensq; nihil quod vſui Hollandis eſſe poſſet, in vniuerſa Inſula ei denegatum iri. Acceſſerat interea ad ciuitatem iſtam Regina, cum Præfecto & Hollandis colloquendi gratia, itaq; aliquoties per Ioannem Wouterum & Mertsmannum ſalutari, & ad ſe inuitari Præfectum curabat, promittens ei non ſolum ſecuritatem, ſed & filium obſidem, donec Præfectus ad nauem reuerteretur, Sed ille honeſte ſeſe excuſando, acceſſum ad vrbem omnino denegabat.

Rogatur Præfectus vt in vrbē veniat.

Capitaneus regius ad nauem venit.

Cæterum 6. Martii, Capitaneus eius loci, ad nauem, magna nobilium caterua ſtipatus, accedens, de multis & variis cum Præfecto locutus eſt. Peritus enim rei nauticæ, tabulam Coſmographicam ſibi exhiberi petiit, quo facto Hollandis præcipua per vniuerſam Indiam loca monſtrauit. Non poterāt autem ipſi Hollandi beneuolentiam aliquam exhibere, præterquam, quod muſicalib. inſtrumentis eum oblectarent, nihil enim cibi potusve capiebant, tempus quadrageſimale & ieiunio deſtinatum prętendentes. Itaq; cum per horam vnam atq; alteram ibi fuiſſet, inter tubarum clangores & crebras tormentorū diſploſiones amicè à Præfecto dimiſſus eſt. Reuerſa eſt autem 8. Martii ſcapha, quā *Mayotte* & *Angeuan* verſus ablegauerat, re omnino infecta, nam neq; de nauib. aliquid explorauerant, nec oryzam acceperant. Præfectus vero in terram deſcendens, aſſumptis quatuor aliis per mediam vrbem profectus eſt, antequam id Capitaneus vrbis animaduertere poſſet, à nemine enim præterq̄ ab aliquo ex Sacrificulis ipſorum cognoſcebatur, qui eum ad littus iam ex vrbe reuerſum rogabat, vt Capitaneum ſecū accedere non grauaretur, quod ipſe reuerſurum ſeſe propediem pollicitus quam humaniſſimè denegabat.

Capitaneus muſicos ſibi mitti expetit.

Delectabatur Capitaneus admodum muſica inſtrumentali, rogabatq; 16. Martii, muſicos ſibi paululum cōcedi, qui per noctem & dies duos apud ipſum commorati, panni goſſypini aliquantū & mediocris ſtaturæ bouem obtinuerunt. Interim duo in naui moriebantur, coquus nimirū & reſtiarius, qui

qui ꝙ per dies in terra delituissent, morbi sui causas ab incolis cõtraxisse putabantur. Non cessabant autem etiamnum incolæ Præfectum rogare, vt in terram descendens se aliquãdo inuiseret, at ille in denegando persistens, nõ posse se dicebat ad illos durante hoc ieiunii tempore venire, ꝓpterea quod non posset frontem cum illis exporrigere & lætari, vtpote cum quib. conuiuari non liceret, ꝙ ita moris apud Hollandos esset, quæ excusatio ridicula ipsis quidem videbatur, sed in posterũ tamen à petendo abstinebãt. Cæterũ Capitaneus misso ad Præfectum ministro aliquo ei significabat, nauem aliq̃ à suis ab altera Insulæ parte visam esse, quæ quidem etiam 24. Martii circa meridiẽ ad eos aduentabat, eratq; Celox, quam aliquot iam septimanis non viderant. Lætantes igitur Hollandi, pro nauis istius conseruatione gratias Deo agebant maximas. At nihil interim de Viceadmiralis naui cognoscere poterãt, etiamsi qui in Celoce erant aliquãdiu in *Mayotte* fuissent. Cum aũt ad 20. miliaria à *Mayotte* discessissent, inuenerant in mari virũ aliquem, qui seipsum in *Canoe* quadam alligauerat, sociis suis reliquis naufragio extinctis. Liberatum igitur illum & solutum rursus ad *Mayotte* traduxerant. Vnde secundo aggressi, nauem offenderant haud exiguæ magnitudinis, quæ ex ciuitate quadam continentis veniens, versus *Madagascar* cursum suũ instituerat, itaq; illam expugnantes, multos in ea inuenerant *Melatos* quos vocant, h.e. Semi-Lusitanos, & linguæ Lusitanicæ peritos, qui aliquot mancipia venum deportabant. Ex hoc naui saccos aliquot oryzæ, & panni gossypini non parum, qualis in *Cambaya* & *Meliade*, continentis ciuitatibus, parari dicitur, vna cum vestimentis & armis Lusitanicis abstulerant, *Melatis* cum sua naui iterum dimissis.

Celocem diu amissam iterum recuperant.

Ingens eodem die tempestas extitit, & malus in naui fulmine percussus in aliquot frusta siue partes distractus est, ita vt vix colligẽdo eum postmodũ reparare & continere potuerint. Accedebat aũt 25. Martii Capitaneus eius loci ad Celocem, Præfectum eius nauis, Cornel. Speccium salutaturus, cui omnem etiã beneuolẽtiam declarabat, cumq; Præfectum generalẽ ibi forte offenderet, rogare eum iterũ cœpit, vt ad ędes suas aliquando venire dignaretur, indicans simul, *Caresmo* seu ieiunii sui tempus iam finitũ esse, cõstituisse se igitur ludos aliquot Hollandis exhibere, & genio cũ eis indulgere. Respondebat igitur Pręfectus, cõmodiorem paulo tempestatẽ vbi nactus esset cõpositis reb. suis ad eum se venturũ. Non erat autem hoc ipsi cordi, nec ex animo ita dicebat, sed constituebat potius nunq̃ ad eum pedem deferre, sed & Cornel. Speccio id iniungebat serio, vt nõ ipse modo in terrã non descenderet, sed & suos quantũ fieri posset, ab ea detineret, posthabita omni incolarũ beneuolẽtia, cum quib. liberè vnicuiq; cõuersari hactenus licuerat. Parabant aũt Hollãdi discessum, sed tacitè tñ, ne incolæ q̃cq̃ eius p̃sentiscerẽt. Interea Capitaneus significari Præfecto generali iubet, visam esse ab altera Insulæ parte, adhuc vnã nauim. Itaq; spẽ Præfectus de Viceadmiral. aduẽtu concipiens rogari Capitaneũ curat, vt suis liceret arborẽ quandam ex sylua ꝓ parãdo nouo malo afferre, ꝙ ipse non modo nõ denegabat, sed & aliquos adiuncturum sese Hollandis promittebat, qui eos in syluã, vbi ligna parãdo nouo malo idonea inuenirentur, deducerent. Instabat igitur Mertsmãnus diligẽter admodũ apud Capitaneũ, vt opus illud in actũ ꝓduceretur, sed ille occupationes subinde nescio quas p̃tẽdes, in aliud semper tẽpus reiiciebat, itaq; Præfectus hoc animaduertens, abstinendũ tandẽ à petitione hac censebat, imperans similiter Ioan. Woutero Secretario, vt bona, quæ in terram traduxerant, paulatim ad nauim rursus deferri curaret, ꝙ ipsum quidem vel ante octiduũ ipsi iam indicatum fuerat. Verũ vterq; tam Mertsmannus quã

Malus in naui ictu fulminis disrumpitur.

Rogant Capitaneum vt lignum aliquod pro nouo malo parando sibi concedat.

Wouterus nimis magnam incolis adhibuerant fidem, & propterea etiam Generali persuadere aliquoties conati fuerant, vt in terram aliquãdo visum Capitaneum descenderet, quod ipsum tamen palàm, audientibus multis, Generalis recusauerat, vt paulo ante dictum est.

Mittuntur quidã in vrbem pro parando nouo malo.

Cæterum Mertsmannus 30. Martii in terram profectus, remissa statim scapha, adiungi sibi quosdam petiit, qui secum in syluam proficiscerentur, spem enim sibi factam de adiungendo sibi interprete quodam, qui ad syluam se deduceret, quo facto remanendũ sibi per noctem in terra fore, quod opus & iter illud expediri aliquot horarum spacio non posset. Circa vesperam autem Wouterus Secretarius ad nauem reuersus, sequenti die summo mane sibi redeundum ad vrbem esse, spem enim sibi de boue aliquo factam, quem statim ibi mactaret. Addebat etiam hoc, rogatum se à Sacrificulo & aliquot nobilibus esse, daret operam vt Præfectum generalem secum adduceret, Regem enim suum ad ciuitatem tum venturum esse, vt de rebus variis cum eo conferret. Indigebant autem aqua recenti, ideo cum intellexissent, eam in sinu quadam dimidio miliari à statione sua distante hauriri commodè posse, 31. Martii, scapham suam maiorem cum 11. personis & 6. doliis, ad hauriendam aquam Præfectus generalis ablegauit, cum expresso mandato, vt nihil cunctantes opus maturarent, & ad nauim mox reuerterentur, licet vel tria tantum dolia repleta haberent. Expetebant autem & nauis moderator Cornelius Iansen & alii, vt cum dies Solis esset, liceret sibi paululum in terram descendere, & in vrbem animi recreandi gratia proficisci, quod à Generali quidem ipsis vel inuitis denegatum est. Cæterum Woutero apud Præfectum admodum instante, vt sibi permitteret bouem iam mactatum & paratum ad nauem traducere, consensit quidem Præfectus, sed hac tamen lege, vt nihil ibi aliud ageret, sed accepto boue, confestim reuerteretur. Assumptis igitur tribus vel quatuor personis, cum cymba minori ad littus est profectus.

Hollandi quidam ab incolis detinentur.

Circa meridiem autem eius diei, cum nec scapham nec cymbam redire cernerent, displosionem Præfectus semel atque iterum fieri, & vexillum explicari iussit, vnde cognoscerent sui, redeundum sibi ad nauem esse. Cum autem nemo compareret, aliter quidem cogitare non poterat, quam eos ab incolis captiuos detineri, præsertim cum nec vllum nauigium siuè *Canoe* ad nauem pergeret, quæ magna copia aliàs commeare hinc inde visa fuerant. Circa vesperam autem animaduertebant multos ex incolis in littore sese currendo exercere, ac si festum quoddam solemne & solemnia gaudia celebrarent. Itaque coniunctis aliquanto propius nauibus, militaria sua retia explicarunt, onerantes torměta & ad pugnam sese parantes, vt qui quid monstri ab incolis aleretur nescirent.

Coguntur discedere relictis post se quibusdam ex populo, & vtraquè scapha.

Primo autem Aprilis, cum cognoscere non possent, quid de suis in ciuitate actum esset, explicato vexillo albo, ad tertium vsque diem expectarunt, an forte aliqui ex vrbe aduenturi ad nauem essent, sed illi *Canoas* suas in littore continentes, ne signo quidem vllo indicarunt, cupere sese cum Præfecto & aliis, eorum nomine qui captiui detinebantur, quicquam conferre, Hollandi autem scapham nullam amplius habentes ad littus accedere non poterant, itaque cum nulla occasio esset cum incolis colloquendi, discessum modis omnibus parabant, vt eo commoti incolæ, mentem suam explicare & colloqui cum Præfecto, si fortè ita liberet, eo magis properarent, cum planè intermitterent, inito cum Cornelio Speccio & moderatoribus aliis consilio, anchoras leuare & discedere constituerunt. Cæterum hoc facto facile se vlcisci de incolis istis potuissent, deferebantur enim ad

pagum

pagum quendam piscatorium, in quo ducenta ferè tuguria, & multæ arbores erant, homines autem omnes in pedes se coniecerant, & naui ipsum ferè littus attingebant, ita vt facile descendere in terram, & *Canoam* aliquam acquirere potuissent. Verum Præfectus non videri sibi consultum dicebat, vllum hostilitatis ibi reli nquere vestigium, quamuis ipsi iniquè admodum & præter omne meritum suos in vrbe detinerent. Cum enim nulla vnquam cum quoquam intercessisset contentio, sperabat etiamnum Præfectus fore, vt præstitorum sibi in naui beneficiorum memores, suos tandem ad nauem remitterent, itaque hinc inde oberrantes ad quintum vsque Aprilis moram ibi trahebant. Tandem autem videntes tempus sese inutiliter perdere, & incolas sese ipsis exhibere non velle, versus *Mayotte* & *Angouan* cursum suum dirigere statuerunt, vbi Reginam harum quatuor Insularum, *Angasiza, Mulaly, Angouan* & *Mayotte* habitare sciebant. Cæterum dum moram ita necterent, illi, qui in Celoce erant, quasi dedita opera, nocte tranquilla & placida ab illis discesserunt. *Amittunt iterum Celocem suam.*

Sic igitur relictis post se scaphis suis, à sexto ad 9. vsque Aprilis, inter maximas difficultates aduerso vento nauigantes, cum portum *Mayotte* assecuti essent, cum noua sua cymba, quam interea in naui parauerant, ad paruam quandam Insulam traiecerunt, aquam recentem allaturi. Postero autem die ad terram paulo amplius appropinquantes, cum proiecta anchora plus aquæ attulissent, animaduerterunt camelum siue funem anchoræ à scopulis sub aqua latentib. ita attritum esse, vt parum abesset, quin iacturam anchoræ facerent. Itaque proiecta statim anchora alia, hanc vndis liberatam conseruarunt. Atqui nec ipsa resistere vento & fluctibus diu poterat: sequenti enim die, vt huius funem vndarum & scopulorum attritu ferè dissolutum esse animaduertentes, tertiam expromere anchoram coacti sunt. Erant profecto non in nullo tum temporis periculo, puppis enim seu posterior nauis pars breuiis & arenis imminebat, nec procul aberat scopulus quidam admodum ingens, qui diffluentibus & recedentibus aquis, subinde se conspiciendum præbebat.

Cœpit autem ipsis 11. Aprilis die ventus nonnihil fauere, itaque leuatis anchoris progressi sunt. Quamuis enim cameli & funes omnes fere attriti essent, ipsi tamen pro auxilio diuino gratias Deo agebãt, siquidem per multos scopulos & breuia nauigandum ipsis fuerat, quæ nunquam antea præsenserant. Toto autem quo in *Mayotte* fuerant tempore, ne vnum quidem *Canoa* vel nauigium viderant, sed & nullo signo incolæ testabantur aduentu eorum sese delectari, cum tamen erga Celocem & scapham suam, satis humanos sese antea præbuissent, & potestatem ipsis liberè in terra conuersandi, & negotiationes suas exercendi fecissent. Videntes igitur neminem ex incolis ad se venire, ipsi etiam in terram descendere & colloquium eorum expetere non auidebant, præsertim cum cymba vterentur exiguæ magnitudinis & vltra 25. personas in naui sua non numerarent, quarum tamen bona pars morbo correpta decumbere cernebatur. *Pericula à scopulis experiuntur.*

Constituerat autem Generalis, idq; communicato cum moderatoribus nauis consilio, *Angouan* versus nauigare, & de Celoce sua ibi inquirere, inde postmodũ ad *Mulaly* se iterum conuertere, si forte populũ suum liberatum recuperare posset. Imprimis enim magno tenebatur desiderio cognoscẽdi, an Regina etiam in *Angouan* habitans factum illud, quod in *Mulaly* acciderat, improbatura esset. Verum enimuero exorta sub noctẽ tempestate, vela demittere cogebantur, erantq; qui murmurantes nõ videri sibi consultum dicebant, vbiq; locorum appellere, & nauim tot tantisq; subinde periculis expone- *Præfectus captiuos in Mulaly liberatos admodũ cupit.*

exponere, siquidem pauci essent numero & anchoris tam crebro leuandis exponendisq; vix sufficerent. Non mouebatur quidem hac murmuratione Generalis, sed tamen videns, ventum sibi, *Mulaly* versus tendenti, plane contrarium esse, conuocatis moderatorib. & vniuerso in naui populo, sententiam suam exponere eos iussit, putarentne ad *Mulaly* Insulam pertingere sese ea tempestate posse, admodum enim sese cupere populum suum ibi detentum liberare? Responsum ab omnibus est, nulla ratione durante Zephyro Insulam istam assequi sese posse, siquidem contrario fluctu & vento, vel sedecim conficienda essent miliaria. Dicebant præterea non esse consultum, vt vbiq; locorum appellerent, cum mira esset paucitas eorum, qui bona vterentur valetudine, cumque nota iam satis & perspecta incolarum perfidia esset, siquidem nec eorum, qui in *Mayotte* habitant, ad nauim quispiam accesserit, quod contra morem & consuetudinem ipsorum esset, spem omnino nullam sibi superesse videri, vel de populo suo liberando, vel de scaphis & nauigiis suis recuperandis.

Constituunt iter suum continuare.

Cum igitur res ipsa quasi loqueretur, non expedire, vt moram ibi diutius nectentes, iacturam temporis maiorem facerent, essentq; recenti aqua & lignis parum instructi, quæ quidem in *Mayotte* comportare propter periculosam nauis stationem non potuerant, Generalis ad omnium qui in naui erant testimonium prouocauit, quod nihil quidem intentatum reliquisset eorum, quæ ad liberationem populi sui facere potuerint, quod ipsum etiam omnes vno ore verum esse affirmabant, testes sese eius fore necessitate id postulante semper promittentes. Decretum igitur tandem vnanimi omnium consensu est iter suum promouere, & ad eum locum, quo à Principalibus suis ablegati essent, destinare. Itaque progressi Septentrionem versus cursum direxerunt. Cæterum ventus circa vesperam in Austrum paulo vergere videbatur, quo viso periculum etiamnum faciendum esse concluserunt, an ad Insulam *Mulaly* pertingere possent. Sed remittebat paulo post ventus, & in Zephyrum rursus vertebatur, vt necesse esset in sententia de itinere continuando persistere. Sperabant tamen Deũ populo suo in Insula *Mulaly* iniuste detento auxilio futurum, liberationemque vel aliunde oblaturum, præsertim cum incolæ de nulla iniuria sibi illata conqueri possent, essetq; ipsis pro omnibus abunde satisfactum.

Quot personas in Insula Mulaly reliquerint.

Progressi igitur populum suum in Insula ista relinquere non sine mœrore & stomacho cogebantur, quorum fuerant in scapha quidem vna vndecim, qui aquam recentem allatum abierant, in scapha vero altera duodecim, qui in syluam lignum aliquod pro parando nouo malo allatum profecti fuerant, & tandem in cymba minori, Secretarius ille, qui cum quatuor aliis bouem allatum abierat, qui omnes 28. erant præstantissimi quique & exercitatissimi ex omnibus quos in naui habebant. Sed & ex illis, qui in naui supererant, duo paulo post moriebantur, faber nempe lignarius & quidam alius Antwerpianus. Cæterum 20. Maii quarta iam vice Æquinoctialem lineam superabant non procul à littore *Meliade*. Maii autem 23. eleuationem 9. cum dimidio graduum iuxta *Cochien* assecuti, ad littus *Melabre* declinabant. Verum cum periculum esset, ne vento & procellis ad breuia propellerentur, conuerso magis in Austrum itinere, *Capo de Comoria*, 26. Maii die obtinuerunt.

Veniunt ad regnũ Matecale.

Terra huius *Capo* humilis nonnihil erat & depressa, acuminata tamen ab altera parte, & in verticem seu collem aliquem rotundum erecta, vt stationem minus commodam præbere videretur, itaque directo versus *Poincto de Galle*, angulum nempe aliquem Insulæ *Celon*, quæ 28. Maii se videndum

dendam exhibebat, cursu, iuxta terram *Celon* progressi sunt, breuia quæ ibi habentur, & Syrtes 29. Maii magna ex parte superantes. Progrediebantur autem versus fluuium *Matecalo*. Cumque exitum quendam, quasi fluuium è longinquo viderent, venientes eò, locum animaduertebant esse multis arboribus, quas *Coques* vocant, consitum. Erat autem iuxta eum pagus quidam *Pagode* seu templo insignis, itaque missa in profundum anchora, cymbam Præfectus ad incolas ablegabat, quorum aliqui cum *Canoa* quodam ipsis obuiam procedentes, cum de *Matecalo* interrogarentur, paulo amplius versus Septentrionem progrediendum ipsis esse respondebant. Hollandi igitur perspecta illorum beneuolentia & humanitate, aliquot cultellis eos donarunt, qui auxilio se ipsis die postero venturos, & aliquos adiuncturos promittebant, qui iter *Matecalo* versus eis monstrarent, quod etiam factum est. Nam 31. Maii quendam ablegabant, qui terra *Matecalo* versus profectus, de Hollandorum aduentu Regem suum edoceret, qui vocatur *Dermuts Iangadare*. Sub vesperam eius diei portum *Matecalo* ingressi, multas naues ibi parari videbant. Sedes autem regia à portu isto integro adhuc miliari distabat, nec vllum ibi fluuium inueniebant, præter eum, qui sex fere miliaribus vltra portum istum reperitur, tot breuiis tumulisq; arenariis refertus, vt vix sex vel septem pedum in eo profunditas reperiatur.

Primo Iunii die Indiani quidam, de natione quam *Cingales* vocant, ad nauem venientes, Interpretem quendam linguæ Lusitanicæ peritum se cum adducebant, qui piperis & cinnami satis ibi haberi dicebat, Præfectumque Regium, qui *Modeliar* ipsis vocatur, vehementer expetere, vt Generalis in terram descendens ad se veniret, velle enim se coràm cum eo colloqui. Reuersus eodem tempore Legatus, qui voluntate Generalis terra ad Regem profectus erat, idem responsi attulit, piperis nempe & cinnami satis ibi adesse, dicebat præterea, humanissimè se à Rege acceptum, & liberalissime habitum esse. Itaque Generalis *Cingales* illos & Interpretem aliquot poculis vitreis & rebus aliis donatos honorificè à se dimisit. *Promissionem & spem piperis & cinnami acquirendi accipiunt.*

Postero die, qui erat 2. Iunii, Generalis ipsemet cum tribus vel quatuor personis in terram descendit, inueniens in littore quinque Elephantes, quibus Generalis ad *Modeliarem* deportandus erat. Multos hi ludos dabant, & modo genua flectendo, modo promuscide eleuatos in altum homines tergo suo imponendo, admodum erant delectabiles, nam pro optimis & prudentissimis per vniuersam Indiam habentur. Ad *Modeliarem* autem perueniēs Generalis, optimè ab eo acceptus est. Cumq; iterum dimitteretur, fidem dedit, se postero die reuersurum, & cum eo ad Regem de *Matecalo* profecturum esse, quod ita etiam factum est. Tertio enim Iunii acceptis variis munusculis, & cantoribus, qui fidibus canerent sibi coniunctis, ad Regem profectus est. *Generalis Præfectus ad Modeliarem pergit.*

Venerat interea nobilis quidam cum *Canoe* ad nauim, sex vel octo miliarib. ex Septentrione aduectus, is instare apud Hollandos admodum cœpit, vt cum naui sua ad locum istum, vbi is habitaret, se reciperent. At incolæ ex *Matecalo* modis omnibus repugnabant, secum eos retinere studentes lucri forsitan ab eis percipiendi gratia. Quarto autem Iunii Generalis per literas suis in naui significabat, se breui vnà cum Rege ad nauem venturum esse, quod quidem etiam sequenti die factum est, Rege cum vel mille virorum & ministrorum comitatu ad littus procedente, & Generalem simul secum adducente, qui cum impetrata à Rege venia ad nauem iterum re- *Generalis à Rege reuertitur.*

C uersus

uersus esset, quæ sibi accidissent, commemorabat omnia; *Matecalo* enim adueniens à præcipuis quibusdam viris, obuiam ei procedentibus, ad Regem deductus fuerat, qui satellites plus quam 600. arma omnes manibus tenentes habens, ipsemet quoque euaginatum manu gladium gestans, se conspiciendum Generali præbuerat. Amicè autem eum & benignè accepit, qui munuscula ei varia exhibuit, & instrumentali musica non exiguam ei lætitiam creauit. His ita peractis ducebatur Generalis in domum Regii *Modeliar*, & lautè ibi excipiebatur. Sequenti autem die ne domo pedem efferret, sed cum suis se in ea contineret ad vesperam vsque, seriò ei iniungebatur, qua appetente deductus ad Regem, & grauiter quod Lusitanus esset accusatus est, ita vt vix multo labore contrarium probare, & opinionem de se conceptam ex animo Regis euellere potuerit. Qua confutata, cum libertati restitutus quo vellet eundi potestatem accepisset, ad suos iterum reuersus est.

Generalis merces pro oneranda naui sua expetit.

Promiserat ei Rex, effecturum sese, vt 15. dierum spacio mercium satis pro naui sua oneranda acciperet. Itaque ablegatis quibusdam aliis, qui eum in littore tamdiu detinerent, varia ei munera offerri iussit. Sexto autem Iunii ipsemet rursus in terram descendens, ad Regem contendit, subsistebat is etiamnum in littore, & pluribus subinde armatis confirmabatur, qui magno numero ad eum confluebant. Expetebat autem Generalis merces asportari pro oneranda naui sua, cui amicè Rex procuraturum se dicebat, vt intra quinque dies maximam partem acciperet, iubens interea, vt naui exonerata in terram bona sua traducerent, siquidem multus populus cum Elephantibus ea abductum aduenisset. Sed & *Modeliar*, vt cum naui sua propius accederent, & vel littori quam proximè iungerentur, quod ipsi cum suis nauibus facere solerent, expetiit. Mouebatur hac iniqua petitione suspicio apud Generalem, non candide secum, sed fraudulenter actum iri. Intellexerat autem etiam paulo ante ex quibusdam Æthiopibus & Turcis negotiationes ibi exercentibus, nihil aut parum admodum piperis ibi reperiri, quod ei colligendo & vendendo operam incolæ non darent, callide igitur ad omnia se paratum esse quæ expeterent simulans, vt nauem ad littus eo melius traduceret, auxilio sese maiori opus habere dicebat, petens *Pilottam* seu moderatorem aliquem & quosdam præterea alios sibi adiungi, quorum opera in promouenda naui vteretur, quos statim ei concedebant, petentes tamen loco Generalis quatuor Lusitanos alios sibi relinqui. Male habebat Generalem, quod persuasum ipsis nondum videret, se cum suis non Lusitanum sed Hollandum esse, negabat igitur etiamnum constanter, sibi cum Lusitanis aliquid commune esse, atq; relictis in littore tribus ex suo comitatu, ipse cum vndecim *Cingales* ad nauem profectus est.

Generalis aliquot Cingales in naui captiuos detinet.

Cæterum reuersus ad nauim descendere secum octo *Cingales* iussit, vt se in transponendis aliquot vasis & saccis onerariis peruolutandis iuuarent, qui cum conclaue aliquod in inferiori nauis parte ingressi essent, occluso statim ostio, eoque probe munito, ibi eos detinuit, postea Interpretem & duos *Cingales* reliquos, ad loca varia in naui ducens, cum, quibus instructi bonis essent, eis ostendisset, redire ad Regem iussit, eiq; significare, se octo illos *Cingales* in naui retinere velle, donec qui in terra essent Hollandi ad nauim remitterentur. Cæterum bonorũ se sat habere, quæ vsui esse Regi possent, dũmodo de pipere & cinnamo aduehẽdo curã susciperet. Scripsit vero simul etiam literas ad Regem, monẽs eum, ne Consultorib. male consulen-

ſulentibus aures præberet, ſed ſciret ſi piperis & cinnami copia aliqua adeſſet, ſe tot mercibus abundare, vt ſatisfieri Regi ſufficienter queat. Cauſam ſi cognoſcere vellet, cur octo illos *Cingales* in naui detineret, eam eſſe ſciret, quod inconſiderate admodum bona nauemque ad littus traduci expetiuiſſent, quamuis nec piperis nec cinnami quicquam adhuc adeſſet, & quod pro Luſitanis haberentur, vnde facile quidem foret cauſam aliquam inuenire, bona ſua in littore detinendi. Quod ſi candide ſecum Rex agere & mercaturã bona fide exercere velit, effecturũ ſe affirmabat, vt de merciũ bonitate & ſolutione honeſta nemo conqueri merito poſſet. Cum his literis aliquot rurſus munera Regi obtulit, ſperans omnino piperis & cinnami copiam aliquam ſeſe tandem accepturum, ſed & vexillis in naui explicatis, omnium tormentorum diſploſionem in honorem Regis fieri præcepit, quod ipſum tamen terrori ei magis, quam oblectationi fuiſſe, poſtmodo cognitum eſt atque perceptum.

Generalis literas ad Regem mittit.

Acceptis hiſce literis, Rex eadem adhuc die Interpretem remiſit, qui ceruinam, vitulinam & carnes alias, cum aliquot gallinis, butyrique & fructuum recentium copia non exigua Generali offerens ſignificaret, patere ei vniuerſam ſuam terram, vt ea pro libitu ſuo vtatur. Sed & tres illi, quos Generalis in littore reliquerat ad nauem reuerſi, non eſſe temere inde ſoluendum dicebant, Regem enim ſatis pollicitum eſſe piperis & cinnami ſeſe procuraturum, velleque, vt ne quid de ſua fide dubitarent, tres vel quatuor Cingales ſecum in naui retineant, donec petitioni ſuę ſatisfactum cernant, ſed & de incogitantia illa, quod voluiſſet nauem ad littus propius admoueri, multis ſeſe verbis purgaſſe, petiiſſeq; ſibi veniam dari, quod conditionem nauis iſtius exploratam non haberet. Daturum autem operam ſedulo, vt allato pipere & cinnamo, ſatisfactum petitioni ſuæ cernerent.

Rex de Matecalo dolum apud Generalem excuſat.

Septimo Iunii die ſpecimen aliquod piperis Generali exhiberi Rex iuſſit. Cum autem parum eſſet, & magni æſtimaretur, Generalis illud emere recuſabat. Itaque Rex cum ſpe ſua fruſtratum ſeſe videret, poſtero die à littore ad ciuitatem ſuam iterum conceſſit. Hollandi autem 9. Iunii cum ſcapha ſua ad littus aduecti, aquam recentem & alia quibus opus haberent afferebant, cognoſcentes interim à quibuſdã, qui Luſitanicam linguã callebãt, Regem de *Matecalo*, de quo hactenus dictum eſt, Luſitanis tributarium eſſe. Ne igitur fruſtra ibi tempus tererent, mittebat Generalis, 10. Iunii ad Regem legatos duos, quæſitum an efficere non poſſet, vt voti ſui compotes facti, piper & cinnamum acciperent? Quibus ille reſpondit, poſſe ſe id quidem efficere, ſed merces illas à Rege quodam alio afferendas eſſe. Si igitur ita Generali conſultum videatur, velle ſe aliquot ex ſuis cum vno atq; altero Generalis miniſtro ad Regem iſtum hoc nomine ablegare. Hoc audito Generalis ſeſe ipſum eo iturum profeſſus eſt, intelligẽs nempe Regem eum in *Candy* eſſe, moxque obſides à Rege de *Matecalo* quinq; expetiit, quos facile etiam obtinuit, erant vero Conſiliarius *Panneka* nomine, Centuriones duo, & duo gregarii milites alii, qui cum Elephantibus quibuſdam ad littus venientes Generali ſeſe offerebant.

Rex de Matecalo ad ciuitatẽ ſuam reuertitur.

Sic igitur ſecundo iam ad Regem de *Matecalo* Generalis profectus eſt, qui ne iter hoc ipſemet ingrederetur modis omnibus ſuadebat, quod longum admodum & moleſtum eſſet. Re igitur deliberata cum ſatius eſſe Generalis depræhenderet legatum quendam alium cum muneribus quibuſdam ad Regem iſtum ablegari, ipſe quidem 15. Iunii ad nauem iterum eſt reuerſus. Interea dum ſubſiſtere ibi & reſponſum expectare Hollandi cogerentur, negotiationes cũ incolis exercẽtes, multos precioſos lapides permutabant,

Generalis legatũ mittit ad Regem de Candy.

mutabant, nempe Pyropos, Carbunculos candidos, Topazios, Baccas, Granatos, Chrysolitos, Cyanos albi & cærulei coloris, Crystallos & id genus alios, quos satis magna copia coaceruabant, licet non vsque adeo præstantes essent, & propterea etiam minoris emerentur.

Generalis ad Regem de Candy vocatur.

Reuertebatur 3. Iulii Legatus, quem ad Regem de *Candy* Generalis destinauerat, cum duobus Regis istius Procuratoribus, qui literas ad Generalem datas, & munera varia, aureos nempe annulos, & res preciosas alias, quas ipsi *Segonsios* vocant, à Rege suo afferebant. Amice autem admodum salutato Generali, expetebat Rex, vt sepositis omnibus negotiis quamprimum ad se venire non grauaretur, paratum enim sese esse omnem ei beneuolentiam & officia debita exhibere. Circa vesperam eiusdem diei veniebat ad eos *Guionlefort*, Viceadmiralis nimirum cum sua naui, quàm Arietem vocabant, ex cuius aduentu ingens apud Hollandos extitit lætitia, cum à 24. Decembris superioris Anni ad hoc vsque momentum eam circa *Capo de bon Esperance* errori inuolutam & à se abductam non vidissent. Cæterum instituta deliberatione decretum est communi sententia, vt Generalis ad prædictum Regem de *Candy* proficisceretur, cum præsertim hoc ipsum ei etiam à Principalibus suis in Selandia iniunctum esset, vt Regem hunc salutaret, & literas Principis Mauricii, de fœdere cum Rege isto, pro oppugnandis communibus hostibus, & defendendis communibus vtriusque amicis, faciendo ei exhiberet. Sic igitur Generalis nihil quicquam itineris molestia deterritus, assumptis quibusdam muneribus, & decem ministris sibi adiunctis, quorum aliqui fidibus canere quam optimè poterant, 6. Iulii die iter ingressus ad Regem profectus est.

Generalis ad Regē de Candy proficiscitur.

Viceadmiralis iūgitur iterum Admirali.

Cum Arietem Viceadmiralis nauem aduentare viderent Hollandi, tormentorum aliquot displosiones, in honorem simul eorum qui à Rege de *Candy* legati aderant, factæ sunt. Accidit autem vt Balistarius quidam, cum nimium sibi fidens tormenti supra modum onerati displosionem facere vellet, eo disrupto ita læderetur, vt paulo post mortuus fuerit. Hæserat autem Viceadmiralis cum naui sua aliquamdiu in sinu *S. Augustini*, Insulæ *Madagascar*, ibiq; tantam pertulerat tempestatem, vt deperdito nauis malo in magno vitæ necisq; periculo omnes fuerint. Et tempestas quidem illa eodem se exeruerat tempore, quo Generalem vi ventorum & procellarum à littore *Soffala* soluere coactum fuisse, supra dictum est: itaque quilibet sibi inuicem commemorabant, quantum periculorum & incommodorum ab eo tempore experti fuissent, Deo pro tam clementi ex illis liberatione, & paterna sua conseruatione, gratias agentes maximas.

Generalis à Rege de Candy reuertitur.

Cæterum dum Generalis abesset, de alimentis & rebus necessariis aliis satis superque sibi in vtraque naui prospexerunt, redimentes subinde ab incolis lapides aliquot pretiosos, & scapham etiam ablegantes, commodiorem paulo stationem & portum pro nauibus quæsitum, quem inuenire tamen non poterant. Generalis autem 28. Iulii ad suos iterum à Rege de *Candy* reuersus, Subpræfectum suum *Iungerhelt*, qui infirma valetudine & itineris molestia defatigatus, sequi & progredi vlterius non potuerat, duorum fermè dierum itinere post se reliquerat. Habebat autem tres Elephantes secum, & sex ministros, quorum beneficio & auxilio adiutus, nauem vltimo Iulii die tandem assecutus est.

Quid Generali in itinere acciderit.

Porrò quæ fortuna Generalis Præfecti hactenus fuerit, & quid ei nō in itinere solum, sed & in regia Regis de *Candy* aula acciderit, ex sequentibus patebit. Principio cum iter ingressus esset ad Regem de *Matecalo* peruenit, qui cum vna cum Legatis Regis de *Candy* splendidè exceptum, aliquot annulis

annulis aureis donauit, paratisq; Elephantis & lecticula, ministros aliquot ei addidit, à quibus vna cum supellectile sua, & sociis ire non valentibus, deportaretur ad terram vsque senioris Regis. Accipiebantur autem vbique liberalissimè, vtebanturque hospitiis semper gratuitis. Cum vero ad regionem senioris Regis venissent, *Modeliar* eius cum tympanis & tibiis obuiam eis processit, acceptosq; honorifice in *Aldea* seu aulam suam deduxit, cibo & potu eos lautissimè reficiens. Cubiculum, vbi dormirent, linteaminib. candidis obductum vndique & exornatum erat, quod maximi honoris signum est, qui in *Celon* alicui exhiberi & præstari potest. Offerebat autem Generalis seniori isti Regi vt & *Modeliari* munera quædam, qui discessuro significabat, Regem non solum gratias ei pro muneribus oblatis agere, sed & amicè rogare, vt in reditu ad se reuerteretur, addita hac promissione, non solum omnem suam regionem, siquidem ad eam appellere alio tempore vellet, apertum, sed & omnem beneuolentiam ei declaratum iri.

Hinc porrò progressus Generalis, lecticula delatus est ad *Aldea* seu aulam Reginæ cuiusdam, duobus miliaribus à Regis senioris aula distantem, Regina hæc filia prædicti Regis, & vna ex vxoribus seu concubinis potius Regis de *Candy* erat, qui hanc *Aldea* ei concesserat. Profecta autem erat ad ciuitatem *Vintane*, ad quam cum Hollandi postero die venirent, procedentes ei obuiam vel sex *Modeliares* cum multo populo tibiis tympanisq; & instrumentis musicis aliis instructo, honorificè eum exceperunt, deducentes eum ad hospitium similiter candidis linteaminibus obductum. Manserant ibi per duas noctes. Regina vero, cuius modo mentionem fecimus, significari Generali iussit, magno sese teneri desiderio eum videndi, addita promissione, se omnem ei beneuolentiam vbi reuersus se in *Aldea* sua compellaturus esset, declaraturam. Sita est ciuitas *Vintane* ad fluuium *Trinquamale*, in cuius ripa multæ triremes & naues aliæ ad ministerium Regis de *Candy* extruebantur. Distat à mare quidem 9. à Regno autem *Matecalo* 21. & à *Candy* itidem 9. miliaribus. Estque ab illustri *Pagode* seu templo quodam rotundo præcipuè celebris, cuius fundamentum seu basis circumferẽtiam habet 130. passuum. Exurgit autem in summam altitudinem, & vndique dealbatum est, excepto vertice seu summitate eius, quæ auro instar pyramidum obducta, oculos aspicientium, Sole nimirum radios suos ad eam proiiciente, admodum perstringit, habetq; turrim quadrata forma magno artificio elaboratam & conspicuam. *Templa in India.*

Cæterum plura in ciuitate ista habentur templa, & monasterium etiam pro monachis, qui vestitu flauo induti per plateas incedere conspiciuntur, vmbellam manibus pro sole à capite defendendo gestantes, sunt enim rasi instar monachorum nustratium & sphærulas etiam precatorias manibus gestant, sed cruce insigniti non sunt, labia autem semper mouent quasi tacitè secum aliquid mussitantes, & magnam sanctitatis speciem præ se ferentes, vnde in magna sunt existimatione, à laboribus oneribusque publicis semper excepti & liberi. Monasterium eorum ita extructum est, vt nostratium formã ferè referat, habet enim peristylia, delubra & sacella, nitidissimo auro vndiq; obducta & ornata. Sed & statuæ in delubris sacellisq; conspiciuntur vtriusq; sexus quam plurimæ, quas dicunt eorum repræsentare effigies, qui præ cæteris sanctè vixerint. Impositæ sunt autem vtplurimum aris sacellorum, & vestibus auro & argento nitentib. indutæ. Ante ipsas ingentia candelabra à puellorum nitentium statuis gestantur, in quibus cerei & candelæ nocte dieque semper ardentes cernuntur. Singulis autem horis ad hæc sacella monachi preces & alia sanctitatis suę officia peractũ confluunt. *Monachi in India.* *Monasteria in India.*

Festi alicuius solemnitas in India. Erat, dum Hollandi ibi essent, solemne aliquod Festum ipsis celebrandum, itaque congregati monachi omnes, pulchro ordine, bini & bini per ciuitatem progrediebantur. Abbas vero vel Præpositus eorum Elephanti insidebat auro argentoq; refulgens, & baculum inauratum manibus supra caput eleuatis tenens. Præcedebant eum aliquot monachi pulchro ordine, variis partim instrumentis musicis, vt cornibus, tympanis, tubis, cymbalis, nolis, tintinnabulis, peluibus, & id genus aliis ludentes & mirifico concentu perstrepentes, partim cereos facesque ardentes gestantes, post eum sequebantur multi viri, itidem bini & bini. Agmen vero mulieres & puellæ claudebant, eodem ordine incedentes. Pulcherrimæ autem quæque puellarum, antequam egrederetur & reuerteretur in ciuitatem hæc pompa, multos ludos dabant, ducentes choreas, & saltationibus mirè tripudiantes, superna corporis parte vmbilicotenus nudæ prorsus, inferna supparis seu indumentis vario colore distinctis præcinctæ, & brachia, auriculas manusq; auro & gemmis exornatæ. Singulis autem dieb. quidam ex incolis ad templa & sacella prostrati conspiciuntur. *Sombayo* seu preces suas tali modo peragentes, vt in terram sese primum abiiciant, postea surgentes, manib. supra caput complicatis verba quædam tacito murmure mussitent. Certe qui monachos hosce, monasteria item & ritum processionis probè intuentur & perpendunt, aliter cogitare & statuere non possunt, quam quod nostrates monachi maximam suarum ceremoniarum partem ab illis mutuati sint & didicerint, siquidem & hunc morem habeant, quod statuas suas florib. variis exornent, quas passim ad vias, compita, angulos platearum, & arbores collocare solent, eadem ratione, qua in Papatu matris Christi effigiem hinc inde ad idololatriam prostare cernimus.

Rex de Candy suā lecticam Generali in occursum mittit. Ex *Vintane* porrò ciuitate progressi, ad *Aldea* seu aulam Regis filii peruenerunt, vbi similiter lautè satis & honestè sunt excepti. Cæterum cum itinere vnius adhuc diei à *Candy* abessent, Rex propriam suam lecticam cum Elephantis aliquot ipsis in occursum misit, itaque Generalis lecticam alteram & eos omnes, qui ex *Vintane* eum hucusque comitati fuerant, amicè & honorifice à se iterum dimisit. Erat autem lectica ista Regio admodum ornatu conspicua, Attalicoque panno strata. Rex vero de salute Generalis non parum sollicitus, singulis horis alimenta, fructus & vinum afferri ei curabat, quod quidem ibi plantatum crescit virtute, sapore & colore Lusitanico vino non absimile. *Vinum in India crescens.* Veniens autem ad fluuium quendam non procul à ciuitate, cogebatur ibi subsistere, stipatus multis proceribus, qui *Modeliares* ipsis dicuntur. Cum ad horam ferè expectasset, mittebat ad eum Rex supremum suum *Modeliar* siue Præfectum, *Emanuelem Dios* nomine, cum multis Lusitanis, qui omnes Regi seruientes dissectis auribus erant. Acceptus igitur ab illis Generalis ad vrbem porrò ducebatur, comitantibus eum circiter mille armatis, qui Turcæ partim, partim Æthiopes, *Singales*, *Cafferos*, *Lusitani*, &c. erant, octo vexilla, quæ à Lusitanis non ita pridem recuperauerant, præferentes. *Generalis ciuitatē Candy ingreditur.* Erant ibi qui tibiis canentes, variisq; musicalibus instrumentis perstrepentes insignem lætitiam declarabant. Cumque in vrbem venissent, & aulam regiam prætereuntes ad destinatum Generali diuersorium contenderent, insigni triumpho multaque tormentorum displosione excipiebantur. Generalem comitabatur Capitaneus Iungerheltus Flissingensis, præcedebant vero tres tubicines cum vexillo Principis Mauritii, sequentib. ministris quatuor, quorum alter vexillum Lusitanicum sericeum Regi donandum gerebat, pro quo Rex postmodum aliud à Lusitanis non ita pridem recuperatum ipsis obtulit. In diuersorio omnia more Lusitanico parata

parata erant,manebatque apud Generalem Emanuel Dios cum quibuſdam Luſitanis aliis,vt ipſi miniſtrarent. Peracto prandio mittebat ad eum Rex tres equos ephippiis phalerisq; egregie ornatos, expetens vt ad ſe veniret,qui aſſumptis aliquot muneribus ad eum profectus eſt, cumque Regem ſalutaſſet, muneraque illa depoſuiſſet, Rex candido indutus veſtitu munera contemplatus eſt, & filio coniugique contemplanda tranſmiſit, poſtea obambulando cum Generali de rebus variis contulit, finitoque colloquio ad diuerſorium eum iterum remiſit,qui antequam abiret, claſſicum canere, fidibusque oblectare Regem miniſtros ſuos iuſſit, qua ex re inſignem Rex voluptatem percepit, multoque abeuntem tibiarum clangore proſecutus eſt.

Generalis ad Regem in Candy proficiſcitur.

Poſtero die,cum acceptis à Rege equis, ad aulam iterum profectus, & à Rege honorificè exceptus eſſet,multa quidem Rex de negotiationib. Hollandorum, deque piperis & cinnami venditione cum eo locutus eſt,at vero cum de pretio conuenire inter eos non poſſet, iamque Generalis diuerſorium ſuum repetiturus eſſet,interrogabat eum Rex,quanti aromata modo dicta emere vellet? Qui non propter aromata eo ſe veniſſe reſpondebat,ſed vt mandato Principis Mauritii ſatisfaceret,quod erat, vt Regem ſalutaret, omnia beneuolentiæ officia ei offerret, &,ſi fortè opera ſua indigeret, paratum eſſe Principem auxilia ei contra communes hoſtes Luſitanos mittere, teſtatum ipſi faceret. His auditis Rex præ gaudio exultare, & cum multa gratiarum actione beneuolentiam hanc acceptare videbatur: comprehenſum enim in medio Generalem à terra nonnihil eleuabat, & quicquid piperis cinnamiq; paratum haberet (quod 3000. tamen libras non excedebat) dono ei ſe daturum affirmabat. Excuſabat autem hanc piperis & cinnami inopiam,cauſamque eius eſſe dicebat, quod negotiationibus hiſce operam hactenus non dediſſet, ſed & arbores aromaticas ipſemet extirpari iuſſiſſet, ne hoſtibus ſuis Luſitanis veniendi in regnum ſuum cauſam vllam relinqueret.

Generalis cauſam aduentus ſui Regi exponit.

Conferebat autem præterea Rex cum Generali de rebus variis, monſtrans ei omnia arma, quæ à Luſitanis recuperauerat. Sed & ad *Pagodas* ſiue templa, quorum multa ibi cernuntur, traduci eum curabat, vt videret imagines & ſtatuas in eis repoſitas tanta multitudine, vt numerari vix poſſent, quæ pleræque tantæ proceritatis erant, vt vel malum in naui ſuperarent, templa autem ipſa ex quadratis lapidib. extructa erant, concamerato opere, vt vel cum Pontificiorum templis certare poſſe viderentur. Cum iſta omnia Generalis vidiſſet, quærebat ex eo Rex, ecquid hæc ipſi templa placerent? qui reſpondit, viuos ſeſe homines aſpicere, quam ſtatuas eiuſmodi vita carentes, quæ nulli officium aut beneuolentiam exhibere poſſent, malle. Cumq; Rex porrò, ſi Hollandorum templa imaginib. Mariæ, Petri, Pauli & aliorum Sanctorũ, more Luſitanico exornata non eſſent, ecquid etiam in Chriſtũ crederent Hollandi rogaret? Reſpõdit ei Generalis, Hollandos quidẽ verè Chriſtianos, ſed non Pontificios ſiue Romano-Chriſtianos eſſe, templa nullis imaginib. cõſpicua habere, ſed firma fide in vnum verũ Deum cœli terræque creatorem credere. Quærebat porrò Rex, an Deus Hollandorum mori non poſſet? Itaque Generalis, cum mortalem quidem hominẽ nulla ratione Deum eſſe poſſe probaſſet, affirmabat ei expreſſe, ſtatuas & imagines nullius momenti eſſe, nec quenquã in neceſſitatib. iuuare poſſe, addita admonitione, vt illis relictis, fiduciam ſuam in Deum rerum omnium conditorem collocaret. Hæc omnia bene intelligens Rex, omnia ſe à Deo habere dicebat, conquerens de iniquitate & malitia ſuorum ſubditorum

Templa in vrbe Candy.

Colloquium Generalis cum Rege de religione.

rum siue *Singales*, quod nimirum ad furta & rapinas propensi nimium essent, & id operam darent, vt clam aliis quicquid possent, arriperent. Respondebat Generalis, nihil quidem tam occultum esse posse, quod Deum lateret, qui nihil impunitum relicturus, sed suo tempore omnem iniustitiam vindicaturus esset, quod ipsum intellexisse sese Rex tali similitudine probabat. Verum est quod dicis, inquit, nam quod quisque seminauit, idem etiam metat oportet.

Generalis à Rege ad prandium inuitatur.

Plures quidem sermones inter eos habitos hic referre operæprecium non est. Sequenti vero die Rex missis ad diuersorium equis, ad prandium Generalem cum vniuerso comitatu suo inuitabat. Cumq; ad aulam venisset, deducebat eum cum sociis suis in cænaculum tapetibus preciosissimis stratum, & mirum in modũ exornatum. Disposita ibi cernebãtur subsellia Hispanica multa, & in tabula siue mensa oblonga omnia Christianorũ more parata erant, lauteque Generalis cum suis accipiebatur, cantoribus interim variis instrumentis perstrepentibus. Generalis autem donabat Regem imagine, quæ Principem Mauritium equo insidentem armatum, pugnamque in Flandria 2. Iulii, Anno 1602. habitam, referebat, quæ Regi admodum grata erat, cumque Generalis pugnæ exitum rationemque confœderatarum Prouinciarum, & belli, quod tot iam annos Principis Mauritii auspicio Prouinciæ cum Hispano gererent, historiam Regi exponeret, ingentem inde lętitiam & voluptatem Rex percepisse se testatus est.

Rex de Candy offert Hollandis suã operam in extruendo Castello aliquo.

Commoratus autem ibi est Generalis quinque diebus, neque enim expedire sese citius poterat, cum Rex nunquam finem faceret quærendi de statu & conditione Prouinciarum Hollandiæ. Effigiem Mauritii Principis à Generali sibi oblatam in loco primario affigi curabat, vt in conspectu eam semper & recenti memoria haberet. Cæterum cum aliquando ad habitationem Reginæ duceretur, qui honor putatur maximus, videretque ibi Generalis Reginam cum filio & filia iunioribus Principibus more Christiano indutam, affirmabat ei Rex, se cum Regina & Principibus suis paratum esse, vel humeris suis cæmentum & lapides asportare, si confœderatis Prouinciis, Principique Mauritio aliquando placeret in regione sua propugnaculum aliquod vel Castellum excitare, quod vt commodius fieret, se locum eis conuenientissimum permissurum, quod ipsum quidem etiam literis aliquot ad Principem & Prouincias datis confirmauit, Generalem obsecrans, vt domum aliquando reuersus cum Prouinciis hac de re agere vellet.

Generalis duos Musicos Regi donat.

Sed & multis muneribus Generalem Rex donauit, cumque musicalibus instrumentis admodum delectaretur, sibique aliqua permitti peteret, Generalis nõ solum instrumenta varia ei donauit, sed & Erasmũ Matisbergium & Ioannem Kempelium in omni instrumentali musica exercitatissimos iuuenes eis adiunxit, quod Regi quidem tam gratum fuit, vt nõ solum iuuenes eos in aulam suam statim reciperet, sed & seipsum in arte Musica exercere inciperet. Regina quidem, & Princeps iunior, Matisbergium à secretis sibi esse volebat, Rexque ipsemet linguam addiscere Belgicam incipiens, regnum suum nouam Flandriam vocabat, tantamque præ se ferebat lætitiam, vt gratum sibi Generalis aduentum esse nemo dubitaret, qui Regem ita etiam informauit, vt quin Hollandis quidem amicus, Lusitanis autem inimicus perpetuo futurus sit, dubium esse nullum possit.

Generalis à Rege iterum abit.

His ita paratis Generalis quidem à Rege iterum dimissus est, qui in lingua Singalica vocatur *Fimala Derma Suri Ada*, cuius nominis origo & ratio postea declarabitur, vbi ad illa peruenerimus, quæ post obitum magni

Regis

Regis in *Darma* acciderunt. Adiungebantur autem Generali multi Elephantes & satellites, quibus ad naues suas perduceretur, sed & iacula quædam maiora, quæ *Sergonsios* nominant, Rex ei donabat, quibus fidem & constantiam amoris sui confirmaret, similiter & inauratum *Somberero* cum mancipiis aliquot, quorum opera in itinere vti posset. Atque ita Generalis hinc inde per totam illam regionem profectus est, absq; vllo sumptuum dispendio, præterquã quod munera quædam Regi & aliis obtulit, totumq; iter 22. dierum spacio confecit.

Ad naues autem iterum reuersus, constituit circa vltimum Augusti diem inde soluere & iter suum continuare, quo quidem tempore tempestates, quas *Monson* vocant, ex Oriente expectabant. Cum autem præter viginti duos in naui sua non numerarentur amplius, ex Viceadmiralis naui, in qua 45. adhuc erant, personas aliquot assumebat, licet non deessent, qui factum hoc reprehenderent, quos ipse tamen amicis verbis ita placabat, vt perficiendo itineri factum hoc apprimè necessarium & vtile esse, palam profiterentur. *Generalis discessũ cum nauibus suis parat.*

Circa quintum Augusti veniebat ad naues *Modeliar* siue Capitaneus supremus *Emanuel Dios* nomine, cum aliis quibusdam Subpræfectis & 120. armatis. Hic ablegatus erat à Rege, vt naues perlustraret, cum Generali de rebus quibusdam necessariis conferret, & locum quendam, vbi alio tempore applicare cum nauibus suis Hollandi possent, ipsi ostenderet. Huic omnia humanitatis & beneuolentiæ officia sunt exhibita. Cumq; cœptam amicitiam iureiurando vtrinque confirmassent, ad littus iterum cum multo armatorum comitatu, duobus nauigiis imposito, traductus est, vnde singularem ipse lætitiam percepit. Accidit autem octauo Augusti, cum *Modeliar* adhuc in naui esset, vt viderent in mari nauigium aliquod, itaque Generalis scapham statim suam cum armatis aliquot comprehensum illud emisit, qui ei appropinquantes triremem esse animaduerterunt, onerum 45. capacem. Quamuis autem 46. viri in ea numerarentur, superare tamen sese à scapha Hollandorum, quæ vix 14. armata erat viris, permittebant. Gubernator triremis istius *Antonius de Costo Montero* dicebatur, onerata autem erat maxima parte *Arecca*, fructu Hollandis parum vtili, cinnami, piperisque modico. Cum igitur *Modeliar* hoc videret, confirmabatur penitus in animo suo, vt crederet vere hostes Lusitanorum Hollandos esse, de quo hactenus aliquo adhuc modo dubitauerat. Accipiebat autem ex triremi arma quædam, ipsamque triremem Generalis cum omni *Arecca* Regi donabat, qui cum ex cursore id intellexisset, non parum inde lætitiæ voluptatisq; percepit. *Modeliar Regis ad naues venit.* *Triremis Lusitanica ab Hollandis expugnata Regi de Candy dono datur.*

Nono Augusti prædictus *Modeliar* iter iterum ingressus est, Regi omnia quæ vidisset commemoraturus. Profectus est autem cum eo Gionlefortus & alii, promissa aromata allaturi, quæ paulo post eorum abitum nauibus illata sunt, erantque cinnami siue cassiæ 60. piperis vero 16. & corcomæ quatuor sacci. Gionlefortus vero ad Regem veniens, honorificè cum sociis exceptus, & aliquot annulis aureis donatus est. Quamuis autem plus cinnami siue cassiæ in ciuitate superesset, expectare tamen Hollandi, donec illud tam longo itinere adueheretur, non poterant, cum præsertim tempestates *Monsonii* præ foribus essent. Itaque absente Gionleforto, de rebus necessariis sibi prospexerunt, vt quamprimum ipse reuersus esset, iter inde soluentes iterum ingrederentur. Cæterum cum 11. Augusti die iterum nauigium aliquod Lusitanicum *Arecca* onustum compræhendissent, illud Regi de *Matecalo* donarunt, qui licet Generali paulo ante potestatem dedisset Lu- *Gionlefortus ad Regem de Candy proficiscitur.*

ſitanos hoſtiliter perſequendi, auxilio ſimul ad hanc rem promiſſo, iam tamen proteſtari & indignari quodammodo videbatur, quod iniuriam Luſitanis in Regno ſuo inferrent, idque ideo vt ſuſpicione ſeſe apud Luſitanos liberaret, quorum, vt cognitũ poſtmodo eſt, tributarius aliqua ex parte exiſtit. Sequenti die aliud nauigium *Arecca* ſimiliter oneratum ceperunt, in quo viginti perſonæ numerabantur, quos omnes ad naues ſuas traduxerunt, fructum illum *Arecca* pro gemmis & cibariis aliis permutantes. Supradictus interea *Antonius de Coſta Montero* captiuitate ſeſe per cuſtodis incuriam liberauerat, qui pœnas negligentiæ ſuæ ſatis graues dedit. Reliqui autem Luſitani de redimenda naui agentes, tempus protrahebant, cupientes Hollandos illic detinere, donec à Monſonii tempeſtate apprehenderentur. Verum ipſi dolum ſubolfacientes, cum in tribus hiſce nauigiis centum ferè viros cepiſſent, quoſdam in nauibus ſecum retinuerunt, reliquos vero ad Regem de *Candy* traduci curarunt.

Hollandi ex Matecalo ſoluunt.

Primo Septembris die Gionleſortus cum ſociis ſuis ad naues iterum reuerſus eſt, literas à Rege & munera aliqua afferens. Cum igitur *Monſonii* tempeſtates iamiam inſtarent, concluſerunt omnino ſequenti die inde ſoluere & iter ſuum continuare, idq; eo magis quod viderent Luſitanos dolo malo redemptionem nauium ſimulare, vt ita à tempeſtate apprehenſi in extremum periculum inciderent. Poſtquam itaq; Generalis ad littus cum ſcapha profectus quæſiuiſſet ex incolis, nunquid eis Hollandorum aliquis quid deberet, addita promiſſione ſe debitum omne perſoluturum, & vero neminem eſſe cui aliquid deberetur, cognouiſſet, nocte ea, quę 2. Septemb. diem ſequebatur, nauigiis Luſitanicis duobus, in teſtimonium quod vere Luſitanorum hoſtes eſſent, igne accenſis, ex portu illo ſoluentes abierunt, *Achian* in *Sumatra* Inſula ſitam petituri.

Hiſtoria Regni Celon.

Antequam autem itineris huius & nauigationis curſum pertexamus, placet hic commemorationem inſtituere eorum, quæ in regno *Celon* poſt mortem Regis *Ragu* acciderunt, & quomodo regnum *Candy* in Inſula hac *Celon* ſitum poteſtate & imperio Luſitanorum ſeſe liberauerit. Rex huius Inſulæ *Celon*, dictus *Mara Ragu*, tres habebat filios legitimos Regni heredes, & vnum illegitimum nomine *Darma*, natum in vrbe *Setavacca*, quæ Regum in *Celon* ſedes eſt, matre vulgari & ignobili *Bailliardeerſe*, ex earum nempe mulierũ numero, quæ ꝓpter inſignẽ ſaltandi peritiã in aula regia habentur.

Rex Darma, quomodo ad regnum peruenerit.

Hic *Darma* cum à prima pueritia in bello educatus eſſet, inſignem belli gerendi notitiam ſibi comparauerat. Cumque prudentia & fortitudine multum valeret, iamq; milites omnes ſibi fauentes haberet, conſtituit tandem ſecum, patre ſuo *Mara Ragu* fratribusq; tribus, Regni nempe heredib. legitimis ſublatis, Regnum ad ſe transferre. Cum igitur hoc ex animi ſententia ipſi ſucceſſiſſet, ad ciuitatem *Setavacca* perueniens Rex in *Celon* ſalutatus eſt. Scribunt aliqui, hunc *Darma* tonſoris ſiue Chirurgi cuiuſdam filium fuiſſe. Sed Hollandi cum in Inſula hac verſarentur, de ortu eius diligentiſſimè inquirentes, cognouerunt, eum verè prædicti Regis *Mara Ragu* filium fuiſſe, licet non negauerim, eum in bello ſcientiam huius artis ſibi comparaſſe, & eius amantem poſtmodum ſemper fuiſſe. Erat autem durus in *Singales*, & magnam tyrannidem paſſim exercebat, quod videret eos animo à ſe alieniori quam milites eſſe, & vt factum ſuum probarent, adduci non poſſe. Verum militibus gratus erat & acceptus, viuebatque ſemper in armis, omnia Luſitanis propugnacula, *Columbo* & *Mannar* exceptis, eripiens.

Erat in prædicta Inſula aliud adhuc regnum, *Candy* nempe, Regb. illis qui

qui in *Setauacca* sedem suam habent, non subiectum. Hoc regnum potentia & opibus multis abundabat, subditosque habebat plerosque omnes *Singales*, qui prædictum *Darma* pro Rege suo agnoscere nolebant, perpetuumq; cum eo bellum gerebant, Lusitanorum vsi præsidio. Cum igitur ei semper propter sæuitiam & tyrannidem nimiam infensi essent, factum tandem est, vt veneno extinctus tolleretur, quo sublato *Singales* quidem cum Lusitanis egerunt, vt modicum ipsis soluentes tributum in pace & tranquillitate viuerent. Hac itaque ratione accessus Lusitanis ad Insulam Celon patefactus est, vt hincinde in portub. maris & locis aliis propugnacula excitare pro libitu suo possent. Reliquerunt autem inhabitantibus Ethnicæ suæ superstitionis exercitium liberum, & cognationem etiam cum illis contraxerunt, matrimonia hincinde libera facientes, vt inde appareat, diuitias Lusitanis & opes momentaneas maiori, quam religionem Romanam curæ esse, cum præsertim multi inter *Singales* Ethnicos passim mixti habitare videantur, vbi nec templa aut sacella vlla, nec sacerdotes monachique reperiuntur, vnde cum ipsis etiam Ethnicis in multis iam sentire deprehendas. *Darma rex veneno tollitur.*

Inked out in Blee copy.

Accidit autem, vt cum Rex in *Candy* moreretur, esset ibi *Modeliar* siue Præfectus supremus quidam, qui dicebatur, *Fimala Derma Suri Ada*. Hic in iuuentute sua ex *Candy* ciuitate in propugnaculum *Columbo* dictum delatus fuerat, eratq; filius primarii cuiusdam Principis in *Candy*, cumq; in religione Lusitanica institutus esset, baptizatus est, & fratris Philippi Hispaniarũ Regis nomine, *Ioannes de Austria* nominatus est. Porrò ex *Columbo* ad propugnaculum aliud *Goa* dictum delatus est, vixitque ibi cum gubernatio eius propugnaculi esset penes Emanuelem Sosam Cottinium, cum Matthæus Albericus Viceregis nomine eo veniret. Hic igitur *Fimala Derma Suri Ada*, cum vir factus prudentia fortitudineq; maxima præstaret, à Lusitanis *Modeliar* siue Præfectus in *Candy* factus est, vt secundus à Rege gerendis maximè bellis præesset. Putabãt quidem Lusitani, eum sibi fidelẽ fore, cum in Christiana religione institutus & baptizatus esset, at vero ipse cum nõ milites solum, sed & *Syngales* Sympatriotas suos sibi admodũ fauentes haberet, & iam potentia opibusq; valeret plurimum, Regem seipsum constituit, omnesq; Lusitanos in *Candy* liberè habitantes extirpauit, bellum Lusitanis apertum denuncians. Videntes igitur Lusitani, spe sua sese frustratos esse, cum superesset adhuc filia defuncti Regis, quam ipsi in propugnaculo *Mannar* educari & baptizari curauerant, Catharinę nomine ei imposito, Reginã eam facere, & Petro Lopes de Sosa, Gubernatori in *Malacca* despondere nitebãtur, moxq; contracto ex *Goa* & aliis locis ingenti exercitu, eam sub prædicti Petri Lopes imperio ad ciuitatem *Candy* traducebant. *Rex in Candy modernus quomodo ad regnum peruenerit.*

Cum igitur tantas secum adduceret Petrus Lopes cõpias, viribusq; suis Ioannes de Austria diffideret, cedendum eius furori ratus, relicta ciuitate lucos & dumeta cum armatis aliquot occupauit, transitus ad vrbem omnes obseruauit, ne quid commeatus ad eam perferretur prohibuit, Lusitanosq; omnes vbicunq; extra ciuitatem constitutos trucidauit. Hisce difficultatibus coactus Lopes ex vrbe tandem egreditur, locumq; vndiq; patentem occupat, aperto Marte cũ *Ioanne de Austria*, qui in Singalica lingua *Fimala Derma Suri Ada* vocabatur, conflicturus. Congressi igitur die quodã Dominico Anni 1590. vterq; exercitus, licet Petrus quidem Lopes 40. Elephantes & exercitatissimos secum haberet milites, superatus tamen tandem à Ioanne de Austria, & in pugna interfectus est, Elephantibus omnib. comprehensis, Lusitanis vero cæsis partim, partim cõprehensis & in seruitutem redactis. *Rex in Candy Lusitanos superat.*

D 2 Impetra-

Rex in Candy Regis filiam Catharinam in vxorem ducit.

Impetrata hac victoria, regia iam potestate plenariè vti Ioan. incipiebat, Catharina Regis filia matrimonio sibi iuncta, à qua iuniores suscepit Principes. Erat autem Catharina illa tum temporis annorum nouem vel decem. Victoria vero ista non quidem viribus & potentiæ Singalensium, sed post Deum, in cuius manu sunt omnes exercitus & fines terræ, prudenti administrationi ipsius Regis Ioannis adscribenda est: *Singales* enim, etiamsi corpore sint robusto & firmo, laborem tamen & res aduersas tolerare non possunt, cumque omnes ferè bonis & opibus abundent, cibis delicatioribus vescuntur, omnem in diuitiis suis fiduciam ponunt, & laborare sibi turpe ducunt. Cibos, pransuri, foliis arborum *Bonannes* imponunt, bibituri *Gorgelanes* vsurpant, hoc est, vasa fictilia formam ollæ referentia, quæ quidē ori non admouent, sed per immissam arundinem euacuant. Cibos, quos manibus semel contrectatos absumere non possunt, nemini præterea offerunt, sed canibus deuorandos obiiciunt, nec enim quisquam tam abiectæ conditionis apud illos est, qui, quod alius contrectauit, ori admouendum censeat.

Mores Singalensium.

Ciuitas Candy turribus & ædificiis illustratur.

Edita hac strage Rex Ioannes regnum suum tranquillè obtinuit, *Tranqueros* & propugnacula Lusitanorum, qui illis relictis ad *Columbinum* propugnaculum confugerant, subuertit, & ad colendam pacem regnumque suum amplificandum omnes cogitationes conuertit. Cœpit igitur arcem regiam & multa templa extruere, turribus item & aliis ædificiis, more apud Christianos vsitato, vrbem *Candy* illustrauit, laborem perficientibus Lusitanis, qui in pugna illa captiuitatem subierant, sed & castellis & propugnaculis passim in regno suo excitatis, contra insultum & impressionem Lusitanorum sese probè muniuit, noui subinde aliquid inueniens, quo contra hostes suos vtatur.

Hieronym. des Ouedo à Rege in Cādy in fugam versus.

Anno post pugnam hanc quarto vel circiter, cœpit Hieronymus des Ouedo, Dux exercitus in *Celon*, variis modis regno *Candy* insultare, sed conatus omnes frustranei erant, donec cum multis copiis, de mandato Regis Hispanici, ad apertum bellum procederet, multos *Cauallieros Fidalgos* ex *Goa* secum adducens, quorum ibi ingens est frequentia. Existimabat autem regnum omne iam superatum esse & expugnatum, verum vt ad locum *Ballene*, vbi prædictus Lopes cæsus fuerat, progressus, ibique castra sua metatus esset, Rex Ioannes contra eum profectus, tanta fortitudine in eum mouit, vt nisi instructam semel aciem summa vi à dissolutione cohibuisset, eandem quam Lopes ante hæc tempora fortunam expertus certo certius fuisset. Verum ille exercitum suum in ordine cohibere, & inter decedendum etiam pugnare edoctus, ad quintum vsque diem se sustinuit, donec, licet non sine multorum militum iactura, propugnaculum Columbinum tandem iterum assecutus periculum euaderet. Ab hoc quidem tempore ad manus venire & in aciem procedere amplius non sunt ausi, licet subinde velitari pugna ex castellis & propugnaculis suis, quæ *Tranqueros* nominant, & spacio integri vel dimidii miliaris ab inuicem remota sunt, vires suas ab vtraque parte exercere videantur.

Emanuel Dios quomodo supremus Modeliar factus sit.

Accidit circa festum Paschatos Anno 1602. vt Emanuel Dios, qui iam supremi *Modeliaris* vel Præfecti locum in *Candy* obtinet, & tempore eo, quo Lopes cæderetur, cum aliis captiuis in *Candy* ciuitatem delatus, hactenus ibi se sustinuerat, ad Hieronymum des Ouedo in Columbinum propugnaculum concederet, rationem sese inuenisse dictitans, sublato è medio Rege, *Candy* ciuitatem Lusitanis tradendi. Talia dictitans gratus admodum & acceptus Hieronymo erat, qui non fidem solum ei adhibebat,

sed

sed & iureiurando eum sibi obstringebat, vt cum quinque Lusitanis aliis, tribus nempè Præfectis, Christiano Iacobino, Alberto Primero, Ioanne Pererro, & duobus gregariis militibus, in vrbem profectus, operam suam Regi offerret, quo insidias eius vitæ struere & ꝓmissis suis satisfacere commodius posset. Donabatur multa in hunc finem pecunia, addebanturque promissiones splendidæ, certo enim sibi persuadebant Lusitani, sublato Rege, Regnum sese facilè sub iugum suum pertracturos. Et sane Hieronymus ille nihil sibi aliud persuadebat, quam ciuitatem & regnum iam in sua manu esse. Emanuel autem Dios perfugam sese ex Columbino propugnaculo simulans, cũ ad Regem perductus esset, exponit ei quid inter se & Hieronymum de Rege interficiendo actum esset, monet eum de insidiis, quas in occulto Hieronymus constitutus habebat iuxta fortificationem *Ballene*, quam primo omnium expugnare constituerat. Rex igitur nocte illa cum multis armatis fortificationem seu propugnaculum istud ipsemet ingreditur, cumque quinque illi Lusitani, qui cum Emanuele aduenerant, putarent, Emanuelem suam operam Regi offerre, adest statim Emanuel eosque per obscuros aliquot transitus ad Regem deducit, habẽtes secum egregios *Transchados* seu pugiones Iapponicos, quibus Regem trucidarent. At ille comprehendi statim eos & in vincula coniici iussit, quibus etiamnum detinebantur, quando Generalis cum Rege sermonem haberet, cui vnum etiam ex pugionibus istis Rex donauit. Pro hac autem & simili sibi nauata opera Rex Emanuelem istum honore supremi *Modeliar* siue Præfecti, qui honorà Rege proximus est, dignatus est, cum præsertim ob singularem prudentiam & fortitudinem in regno suo admodum conspicuus esset, & in oppugnãdis Lusitanis nulli labori parcere videretur, quemadmodum eius rei eo quidem ipso tempore, cum Generalis apud Regem esset, haud obscura signa dedit, excursione ad *Tranqueros* siue propugnacula Lusitanica aliquoties facta, & spoliis haud contemnendis in vrbem secum allatis.

Cæterum Rex in *Candy* regionem tenet satis amplam, multis ciuitatibus & oppidis, frequentique populo conspicuam, subditi eius abundant opibus, vestitu vtuntur decenti ab vmbilico in terram demisso, qui vero graciliores sunt & procero nonnihil corpore, *Roppillios* siue thoraces adhibent multis annulis insignes, ab auriculis gemmas habent dependentes, & pugionibus armati incedunt. Mulieres nudo incedunt pectore, vestitum vero ab vmbilico ad pedes demissum admodum nitentem & decorum habẽt, verecundo sunt aspectu, & corpore satis eleganter disposito, capita capillo proprio tegunt, quem sine vllis fasciis siue sericeis siue linteis ita inuoluere & componere norunt, vt reticulum capillare seu vittam eas gestare in capite putes, in collo monilia gestant, & armillas in brachiis, gemmis & auro conspicuas, digitos vero in manibus pedibusq; aureis annulis exornatos habent. Ædificia inhabitant artificiosè extructa & eleganter ornata. Viuunt vero semper in delitiis, & cibis vescuntur admodum delicatis, quos mulieres quidem coquere & parare quam optimè norunt. Regionem incolunt gallinis, piscibus, ceruis, pauonibus, porcis, butyro, lacte & melle, nec non variis fructibus, veluti sunt *Annanes, Bonnanes, Coques, Iacques, Manges*, mala aurea & id genus alia, abundantem, carne vero bouilla, vaccina, & bubula plane abstinent, nec vino etiam vllo delectantur. Habitant autem inter Singales illos multi Æthiopes, Turcæ & gentes aliæ, quibus omnibus peculiare ius, peculiarisq; religio est. Præ cæteris autem frequentes ibi *Brancos* inuenias, qui cum admodum superstitiosi sint, magna in existimatione habentur, in cibum quod vitam habuit non assumunt, animaliaque illa in-

Vestitus populorum in Candy.

uocant, quæ manè domo egreſſis prima occurrunt. Hoc cum aliquando Generalis cur facerent rogaret? à Deo ſibi ita imperatum & mandatum eſſe, reſponderunt. Cum vero pergens Generalis, omnia quæ vel in terra vel aquis viuunt Dei noſtri eſſe, eumque, cum populus eius ſimus, hiſce omnibus imperandi & veſcendi poteſtatem nobis dediſſe, diceret, reſponſum nullum accepit.

Polygamia in Inſula Celon.

Cæterum non in regno *Candy* ſolum, ſed per vniuerſam Inſulam *Celon* moris eſt, vt viri tot vxores ducant & habeant, quot nutrire & ſuſtentare poſſunt, itaque virgines vix decimum ætatis annum aſſecutæ, ad matrimonium abripiuntur, mortui vero igne cremantur. Oryzæ in regione iſta tantus prouentus eſt, vt magna copia ad alia etiam loca transferri poſſit, itaque multæ paſſim Canoes, Champanes & alia id genus nauigia paſſim in portubus ibi cernuntur pro coemenda oryza, verum negotiationes exercere ſine Luſitanorum permiſſu non licet, itaque tributum eis perſoluunt, vt ſuis ſtudere commodis in pace poſſint, idque exemplo Regis in *Matecalo*, qui licet regionem habeat multo populo abundantem, poſſitque Luſitanorum facile iugum excutere, tamen pacis magis quam belli ſtudioſus, vt ſubditis ſuis negotiari paſſim in maris littore liceat, tributum Luſitanis perſoluit annuum, oryzæ nimirum tantum, quantum vix 50. coronatis redimi poſſit. Rex vero in *Candy* tributum nullum perſoluit, vna cum duobus fratribus, qui ante hæc tempora ſimiliter cum Luſitanis in Columbo vixerunt, & ab eis baptizati ſunt. Hi Regem contra Luſitanos iuuant, ſed tacitè tamen & occultè, ne Luſitani id ſentiant. Imperat autem Rex in *Candy* populis ab vtraque ripa fluminis *Trinquanemale* habitantibus, quod flumen ciuitatem *Vintane* præterlabitur, in qua triremes & nauigia Regis parantur.

Negotiationes in Inſula Celon.

Inſula aromatum & metallorum diues.

Porrò diues eſt hæc Inſula cinnami & piperis, nam hæc aromata magna ibi copia creſcunt, verum *Singales* nullam illis colendis operam impendunt. Reperiuntur vero etiam in regno *Candy* multa metalla, nempe ferrum & cuprum, ſuntque montes auri & argenti feraces, ſed Rex fodinas nullas admittit. Gemmas & pretioſos lapides, qui in *Candy* reperiuntur, nemini colligere aut diſtrahere & vendere licet, pręterquam ipſi Regi, qui eos quidem in theſaurum non reponit, ſed cum illis opus habet, colligere iubet quantum ſatis eſt. Inſtabat quidem Generalis apud Regem, vt permutare ſibi lapides aliquot pretioſos liceret, ſed repulſam patiebatur, & ne pergeret hoc amplius expetere, offerebat ei Rex ducentos lapides omnis generis, affirmans ſe eos ipſis dono dare, nullos autem vendere aut permutare velle. Interim tamen ab aliis multos permutando acquirebant Hollandi lapides, exiſtentibus quotidie in littore regni *Matecalo*, & ad naues confluentibus, qui eorum mercaturam exercebant, clam tamen & tacitè, ne à Rege id animaduerteretur. Hoc quidem certum eſt, gemmarum in Inſula hac maximum eſſe prouentum, nam & in fluminibus ſi arenam eluas, & in canalibus vrbis *Candy*, varii lapides inueniuntur. Sed & chriſtallum ibi reperias, & ſi fodere ibi & inquirere liceret, dubium non eſt, quin ingens ſeſe pretioſarum rerũ copia ſit oblatura. Lapides præterea operarii multi multaque ligna extruendis ædificiis, nauibusq; parandis idonea, ibi reperiuntur, nec ſalinæ ipſis deſunt, vt ita Inſula hæc nulli quo ad fertilitatem cedere videatur. Terra eſt bona & omnium quæ ad neceſſitatem & ſuſtentationem noſtram pertinent, vt in noſtris regionibus ferax, dummodo quis ſit, qui colendo agro operam impendat. Sed & goſſypium & zingiber, *Corcoma* item, *Cardomoma*, *Mirabelanes*, &c. ibi reperiuntur. Macis etiam & nucum myriſticarum aliquis prouentus eſt. Cumq; cœlum bene temperatum

ſit,

ſit,non æſtus ibi nimius,nec frigus nimium deprehenditur. Sed dolendum eſt interim vera eos Dei agnitione carere, quamuis ſpes aliqua ſit, fore vt ipſis lux agnitionis diuinæ impoſterum affulgeat, cum populus ſit non pertinax & obſtinatus, ſed placidus & humanus, qui non ſolum admonitiones libenter admittit, ſed & meliorem informationem,ſi quando erroris conuincatur,expetit. Quod ſi ſuperſtitionem eorum quis reprehendat, benignè reſpondent, aliter ſeſe inſtitutos non eſſe, eamq; religionem longo vſu in ſua regione receptam eſſe, addentes interdum non ignorare ſeſe idola quæ colant nullius pretii eſſe. Regina Catharina templum profanum nullum ingreditur, Rex vero in gratiam ſubditorum *Singales* ea interdum frequentare cogitur.

Spes agnitionis Dei in regno Candy aliqua.

In dicta iam ſæpe Inſula *Celon* multi viſuntur peregrinatores, qui peregrinationem ſuſcipiunt ad montem Adami, viſum ibi veſtigia eius, in quo quidem monte Ioannes Rex ipſemet etiam aliquando fuiſſe, & menſuram veſtigiorum in vrbem *Candy* ſecum attuliſſe dicitur. Cum feſta ſua celebrant, multa ſacrificia idolis ſuis *Singales* offerunt, nouitque Rex optimè pecuniam & opes à ſubditis ſuis extorquere, templa enim extruere incipit, pecuniaque in hunc vſum opus ſibi eſſe aſſerit, mox imperfecta relinquit, non ſufficere pecuniam contributam dictitans, exactionesque nouas ſubinde excogitat. Nummis vtuntur argenteis, quos *Larins*, & aureis, quos *Fannons* vocant. In templo quodam ſiue *Pagode* eximiæ magnitudinis, quod conſpicuum eſt illis, qui à *Poincto di Gallo* ſoluentes, *Matecalo* petunt. Statua quædam eleuata eſt admodum procera, ſtrictum manu gladium tenens. De hac referunt Singales miraculum aliquod, nempe quod cum Rex Ioannes, qui ludibrio ſtatuam iſtam ſemper habuerat, aliquando templum illud ingreſſus eſſet, ſtatua gladium manu vibrarit & commouerit, ictum quaſi minitans, vt in ſtuporem Rex totus verſus ſit. Hoc ſi verum eſt, ludibriis Diaboli totum adſcribendum, qui idololatriam hac ratione ſtabilire voluit. Singales enim tanti hanc ſtatuam hocque templum faciunt, vt donec illud ſaluum ſit, mundum interire non poſſe dictitent. Tota autem regio abominationum plena eſt, nam ſi quando morbo aliquis corripiatur, ſtatim ad ſtatuas confugiunt, & ſacrificium Diabolo offerunt, quo fine quidem ſportulas habent in ædibus ſuis repoſitas, quibus colligunt, vnde Sacrificium faciant, ſperantes liberationem ex calamitatibus ſeſe hac ratione impetraturos. Reperiuntur, aliqui qui idolum ad formam capitis Elephanti ex ligno vel ſaxo fabrefactum pro impetranda prudentia inuocent. Et quidem eiuſmodi abominationes variæ ibi reperiuntur, vt optandum ſit, quoſdam Chriſtianos Principes laborem hunc ab idololatria loca iſta perpurgandi ſuſcipere, quod quidem factu difficile non foret, ſi eſſent qui ſummo ſtudio & pio zelo gloria Dei rem aggrederentur, cum populus ſit tractabilis, vt antea dictum eſt. Nam quod ad Luſitanos quidem attinet, illis curæ non eſt, quomodo miſeri & excæcati homines ad Deum conuertantur, ſed quomodo commodum ſuum ipſi promoueant. Reſpexit hunc finem Generalis, cum Eraſmum Matisbergiū ibi relinqueret: cum enim videret, Regem virum admodum prudentem, ſummo ſtudio de politiæ & religionis apud noſtros conſtitutione inquirere, ſperauit, hac ratione fore à ſuperſtitionibus Ethnicis paulatim abduceretur, & ad agnitionē veritatis perueniret, quod ipſum quidem Eraſmus modis omnibus ſeſe promoturum pollicitus eſt.

Peregrinationes & miracula diabolica in Celon.

Quod ad magnitudinem & circumferentiam huius Inſulæ *Celon* attinet, ea quidem ingentis olim capacitatis fuit, ſed non parum ei hodie maris in-

Quantitas & dimensio Insulæ Celon, cum præcipuis eius locis.

ris iniuria in parte Septentrionali decessit. Existimatur tamen adhuc in circumferentia ferè 300. miliaria continere. Portus habet capiendis nauibus admodum idoneos, imprimis autem commendatur Portus ille quem vocant *Poincto di Gallo*, vbi statio nauium est tam commoda, vt vix meliorem tota India inuenire queas. Loca vero præcipua cum eorum ab inuicem distantia ita recensentur. Principio à *Poincto di Gallo* Occasum versus, ad *Alican* numerantur 9. miliaria, inde ad *Verberin* est miliare vnum, ad *Calutre*, numerantur tria, ad *Columbo* sex, ad *Negombo* quinque, ad *Gilau* itidem quinque, ad *Putalon* decem, ad *Mannar* vero octodecim. Iam ab altera parte à *Poincto di Gallo* Ortum versus si contendas, occurrit primo *Bellingan*, quod à *Poincto* abest 4. miliaribus, inde ad *Mature* numerantur duo miliaria, ad *Dondoure* vnum, ad *Tannadar* itidem vnum, ad *Halpilanam* duo cum dimidio, ad *Mialle* tria, ad *Velebe* nouem, ad *Tansalier* septem, ad *Trincoly*, quod templum vel *Pagode* est, duodecim, ad *Matecalo* quinque, & tandem ad *Trinquamale* decem numerantur. Hæc loca omnia in littore maris sita sunt, à *Columbo* vero versus ciuitatem *Candy* iter suscipienti, occurrit primo *Tranquero grando*, numeranturque ad hoc oppidum tria miliaria, hinc ad *Malevaeno* numerantur miliaria duo, ad *Crovabely* tria, ad *Manieratuate* quatuor, ad *Dively* tria, ad *Matappety* duo, ad *Altonnor* vnum, ad *Ganiattany* itidem vnum, ad *Ballene* vnum, & ad *Candy* vnum. Postremò si à *Matecalo* ad ciuitatem *Candy* quis contendat, occurrit ei primo *Aldea More*, abestque à *Matecalo* dimidio miliari. Inde ad oppidum *Oncattoty* numerantur duo miliaria, ad *Viado* itidem duo, ad *Neguritti* quinque, ad *Nilvaele* duo, ad *Vegamme* quatuor, ad *Vintane* sex, ad *Vendro* quinque, & tandem ad ciuitatem *Candy* quatuor.

Generalis ad Achian ciuitatem venit.

Hactenus de Insula *Celon* & regno *Candy*, iam vt cœptum nauigationis cursum pertexamus, cum ex *Matecalo* soluissent, *Achian* ciuitatem in Insula *Sumatra* sitam 16. Septembris assecuti sunt. Inuenerunt autem ibi Celocem suam, quam iuxta *Comoram* Insulam noctis & tempestatum iniuria ex conspectu suo amiserant. Præfectus eius nauis Speccius, cum sibi nihil polliceri posset de reliquarum nauium aduentu, & nauem suam aquarum & tempestatis iniuria admodum deprauatam videret, diffideretque suis viribus, egerat cum Generali Anglicarum nauium Præfecto, Lancestrio, vt Celocem istam cum omni, qui in ea adhuc supererat, populo in suum conuictum reciperet, & tria piperis onera gratis ad Londinum ciuitatem vsque secum transportaret. Facta erat hæc transactio ante Generalis aduentum, qui cum adueniret, ad prandium statim à Lancestrio inuitatus est, vt de hac conuentione edoceretur, à quo cum intelligeret se cōstituisse portum *Malacca* petere, ibiq; nauem aliquam Hispanicam, quæ à S. Thoma *Malaccam* aduentura dicebatur, oppugnare, obtulit ei Generalis suam operam, vt nauim istam eo commodius & rectius expugnaret.

Generalis Regem in Achian accedit.

Antequam autem abiret, in terram prius cum decem personis aliis descendit, literasque Regi à Comite Mauritio allatum profectus est. Venientem autem ex naui exceperunt statim Hollandi aliqui, qui pro exercenda negotiatione ibi relicti fuerant. Ducebant autem illum secum in domum, quam inhabitabant, vt ibi responsum Regis expectaret, quando nimirum ad aulam pergere & literas ei exhibere deberet. Cum igitur paululum cum Belgis illis locutus fuisset, aduenit statim *Corcon* siue *Sabandar*, Regemque, quando vellet, accedendi liberam ei potestatem fecit. Itineri igitur sese quamprimum accingens, aulam regiam cum *Guionleforto*, & prædictis Belgis, qui erant Cornelius Iolit, Ioannes Mertsen, Lucas Ianson, Nicolaus Petersen,

Petersen, & Philippus Graue de Sencion, ingressus est. Veniens in aulam admissus non solum ad Regem est, sed & amicè admodum exceptus. Cumque post oblata Regi munera, literas Mauritii, quæ pro beneuolentia Regis & negotiationes exercendi licentia consequenda scriptæ erant, ei exhibuisset, breuem & modestam admonitionem addidit, vt Rex incommodum Anno 1599. duabus nauibus à subditis suis illatum, inultum non haberet, sed si fieri posset, aliquo modo recompensaret, qui respondit, se seuerè admodum in auctores istius facti animaduertisse, nec quenquam impunitum reliquisse, ita vt etiam filio suo, qui Rex in *Pedier* iam esset, non pepercerit, propterea quod malum hoc non prohibuisset: addebat & hoc debere Generalem liberè indicare, si quos eius facti auctores nosset, daturum sese operam, vt impuniti non maneant. Cæterum liberalem sese & beneficum erga Generalem exhibebat, inuitabat enim in eius gratiam aliquot regni sui proceres, qui eum potando exhilararent. Sed & mulieres cantu, choræis & tripudiis haud parum afferebant ipsis oblectamenti, cum præsertim auro & gemmis pulcherrimè exornatæ incederent. Finito prandio cum abitum Generalis pararet, gladio Indico inaurato, & veste auro intertexto nitente, eum Rex quemadmodum & Gionlefortum donabat.

Cæterum Generalis 21. Septembr. cum Lancestrio & reliquis Anglis inde soluens, & mari sese iterum committens, reliquit interea ibi Cornelium Speccium, alterius nauis Præfectum, vt cum Gionleforto piperis coemendi curam susciperet, ipse autem *Malaccam* petens, 25. Septembris ad Insulam *Pulo punaon* dictam delatus est. Primo Octobris cum paruam quãdam Insulam, *Isla de Gerro* dictam, attigissent, hærebant ibi, nauim Hispanicam præstolantes. 11. Octobris, cum nauigium aliquod è longinquo viderent, ablegabant statim cum cymba aliquos qui illud explorarent. Erat autem nauis quædam ex *Iore*, hominesq; omnes ad Hollandorum aduentum eam reliquerant, beneficio *Canoes* euadentes. Est hisce Indianis perpetuum bellum cum Achiensibus, ideoq; frequenter iuxta portum *Malaccæ* conspiciuntur, insidias Achiensibus struentes. Decimotertio Octobris aliam nauim videntes, cursum suum ad persequendum illam direxerunt, incedebat illa plenis velis, & secundo vento, itaque cum periculum esset, ne noctis beneficio elaberetur, placuit Lancestrio, vt Generalis Hollandorum, cum Præfecto Middeltonio, iter rectà ad nauim illam susciperent, ipse vero cum Philippo Graue de Sencion, & Celoce quam ab Hollandis emerat, in insidiis laterent, & iter ipsi præuerterent, vt licet Generalis manibus se subducerent Hispani, periculum tamen non euitarent, & alter alterum certo signo in auxilium vocarent. Erat nox illa admodum obscura & tenebrosa, itaque Generalis scapham suam cum aliquot armatis præmittebat, vt nauem istam in conspectu retinerent, qui cum eam assecuti essent, reuersi ad Generalem, referebant esse eam nauem Lusitanicam eximiæ magnitudinis, neminem autem in ea ad interrogata respondere quicquam voluisse. Præceperat suis armatis Generalis, vt si interrogarentur quales naues adessent, responderent pertinere eas ad classem Andreæ Fortado, quem in finibus *Malaccæ*, *Sundæ*, & *Moulуccæ*, subinde oberrare, & versari nouerat, negotiationes aliarum nationum impediturus. Lusitani interim cum naui sua ad Generalem & Præfectum Middeltonium appropinquantes, nihil ad interrogata respondebant, sed tormenta statim displodere incipiebant, itaque Middeltonius accenso igne signum dabat Lancestrio, vt cum reliquis nauibus appropinquantes auxilium sibi præstarent. Dispositis igitur in ordinem tormentis, cum reliquæ etiam naues aduenirent, tanta tormento-

Generalis cũ Lancestrio Malaccam versus nauigat.

Oppugnãt nauem aliquam Lusitanicam.

rum displosione Lusitanos oppugnabant, vt trucidatis non paucis, perforata nauis aquam admittere inciperet. Cum igitur dies illucesceret, & in freto *Malaccæ* ad Insulam *Darrÿ* vsque pugnantes progressi essent, deditionem facturus Lusitanorum Præfectus, scapha ad Lancestrii nauim aduectus est, egitque cum eo, vt Lusitani, qui adhuc in naui superessent, salui & incolumes dimitterentur, & nauis exonerata bonis Præfecto Lusitanorum restitueretur.

Nauis Lusitanica expugnata bonis spoliatur.

Sic igitur 14. Octobris Lusitani omnes ad naues Anglorum sunt traducti. Cum vero omnes primarios viros esse, vel ex habitu & vestitu appareret, nihil ipsis mali illatum est, beneque cum vxoribus & liberis habiti sunt, Middeltonio & Generali Hollandorum ad hoc constitutis, ne quid ipsis iniqui accideret. Interea cum nauis exoneraretur, conclaue Præfecti saluum relictũ est, in quo mulieres quædam cum ministris aliquot sese continebant, similiter & Scribis, Pilottisq; & Marineris plerisq; supellex sua relicta est, cum diligentes admodum in exoneranda naui sese ipsos exhiberent. Occupati autem in hoc negotio erant integrum octiduum, transferentes ad naues Anglicanas 960. *Ferdes*, 80. cistas, & 40. *Cannestres*, præterea & linteamina varii coloris, vestimenta item & arma cum cibariis eduliisque satis copiosis, corium vero, oryzam, oleum item & butyrum in naui relinquentes, ne naues suas nimis onerarẽt. Ingens autem tempestas & procella circa 20. Octobris, eos compræhendit, tanto cum impetu in eos furens, vt cogerentur à naui ista Lusitanica desistere. Lusitanis igitur omnib. in suum locum iterum restitutis, nauim dimiserunt, qui summa cum lætitia abeuntes, gratias pro liberali tractatione, & declarata erga sese discretione Anglis agebant. Præfectus equidem Lusitanicus strenue pugnando suis nõ defuerat partibus, ideoq; etiam honestè habitus est ab Anglis, & cum laude iterum dimissus. Gemmarum quidem & pecuniæ parum in naui repertum est, numerabantur autem in ea Lusitanorum *Mesticos*, *Marineros*, mancipiorum, liberorum & mulierum 600. fere, omnes honesto & egregio vestitu suo quidem more induti. Tantæ vero nauis ista magnitudinis erat, vt 1400. vasa caperet, prora puppiq; proceritate & altitudine sua malum nauis alicuius 200. onerum apud nostros æquante.

Lusitani cum naui sua iterum dimittuntur.

Colloquia inter Hollandos & Lusitanos.

Habita sunt interea cum Lusitanis varia colloquia. Cumque interrogarent quæ causa esset, quod Hollandi tam longinquum susciperent iter, respondebant ipsi, causam præterquam Castiliæ & Portugaliæ Regi nemini imputandam: cum enim tam iniquus sit, vt ad negotiationes exercendas admittere eos nolit, coactos inde Hollandos loca remotiora adire, & tam Orientalem quam Occidẽtalem percurrere Indiam, quemadmodum iam in China negotiationes dudum exercuissent, & fretum Magellanicum, Mardelsur, & Philippinas & loca alia percurrissent. Mirabantur autem, quod nauibus Hollandi tam paruis respectu suarum nauium vterentur. Cumq; Generalis inter alia ipsis exponeret, quomodo in Insula *Celon* fuissent, ipseque relictis in portu regni *Matecalo* nauibus suis, ad regnum *Candy* terra profectus cum Rege *Fimala Darma Suri Ada*, qui Christiano nomine Ioannes d'Austria dicitur, locutus fuisset, & 60. cannestres cinnami, piperisque non parum cum multis gemmis & muneribus aliis, in signum amicitiæ, ab eo accepisset, mirari id satis non poterant, videbaturque ipsis res non contemnenda, cum ob potentiam suam omnibus Lusitanis formidini esset.

Reuertũtur in portum ad Achiam.

Post victoriam hanc cum *Achiam* versus cursum iterum reflecterent, multas tempestates experti sunt, ob mutationem aeris tempore *Mossonii*. Asseque-

quebantur autem portum 5. Nouembris. Cumque Carbasa haud parum detrimenti à procellis accepissent, reparandis illis dies aliquot consumpserunt. Non erat ipsis animus diu ibi cōmorandi, cum parum vel nihil piperis & aromatum ibi tum haberetur, Angli licet septem ibi mensibus substitissent, & pecunia satis instructi essent, vix 50. onera piperis acquirere potuerant. Relicta igitur domo, quam nuper extruxerant, ad iter sese parabant, quemadmodum & Gallicarum nauium Præfectus *Le Berdeliore*, qui ne septem quidem onera habebat, Hollandi vero octo plus minus onera acceperant, soluentes pro quolibet *Baere*, hoc est, pro 380. libris Belgicis, 30. *Tapelas*, hoc est, totidem libras monetæ Belgicæ. Tria illa onera piperis, de quibus ad Londinum vsque ciuitatem vehendis cum Lancestrio conuenerat, ad naues eius traducebantur. Cumque omnia parata essent, soluentes inde 20. Nouembris die, versus portum *Malacca* iter & cursum suum direxerunt, quem *Queda* nominant. Cum autem ob ingentes tempestates eum assequi non possent, ad Insulas *Nicoubares* 23. Nouembris appulerunt. Incolæ harum Insularum, Gentes *de Mattos* à Lusitanis vocantur, suntque homines nulli fidentes, & quibus etiam parum fidei habendum, aduolarunt tamen statim multis nauigiis afferentes gallinas & mala aurea, quorum cum aliquam copiam permutando acquisiuissent, soluentes iterum, *Sumatram* versus contenderunt, sperantes fore, vt si Angli & Galli inde discessissent, aliquantulum adhuc piperis pro tolerabili precio ibi acquirerēt. 28. Nouemb. die cœpit ipsis quidē terra de *Sumatra* apparere, sed ꝓpter nimiam procellarum ex freto *Malaccæ* prorumpentium vim, portum ciuitatis *Achien* assequi non poterant, itaq; cum cursum intendere non possent, hinc inde oberrare in mari coacti sunt.

Tertio Decembris Insulam quandam è longinquo cōspexerunt. Cumque propter tempestates & cœlum nubilosum, eleuationem obseruare non possent, disputatio inter illos de nomine istius Insulæ exorta est, quæ quidē cōponi non poterat, donec ad eam appellentes viderent, Insulam eam esse quā *Nicoubars* vocant, mirabantur vero admodum, q cum meridiem versus summo studio contendissent, procellarum & ventorum iniuria tam longe ad Septentrionem propulsi essent. Erat ipsis curæ, sinum aliquem, vbi recentem aquam haurirent, petere, verum cum locus nullus sese ipsis offerret, decreuerunt iterum *Achiam* versus cursum reflectere, quo tandem superatis multis difficultatibus, cum vnica duntaxat anchora aduenerunt. Rex vt de aduentu Generalis certior factus esset, missa statim scapha, vti ad se veniret rogabat, qui 26. Decembris die cūm muneribus quibusdam ad eum profectus, cum beneuolentiam suam re & verbis erga Hollandos declarare Regem cerneret, statuit ibi ad tempus subsistere, & bona sua ex naui in terram venum incolis exponere. *Cogūtur Achiam rursum petere.*

Primo Ianuarii Generalis iterum ad Regem profectus est, de Rege in *Candy* cum eo collocuturus. Referebat autem ei omnia, quæ inter se & Regem in *Candy* acta essent, imprimis autem quod hostis Lusitanorum esset acerrimus, quod ipsi quidem gratum & iucundum auditu fuisse, vel inde apparebat, quod legatum postmodo ad Regem in *Candy* mitteret; & dubium quidem non est, quin auxilium Rex in *Candy* ab hoc Rege in *Achien* aduersus Lusitanos sit accepturus. Donabat eum Generalis tormento æneo 300. librarum, thorace item ferreo & armis aliis, quæ omnia ipsi gratissima erant. Significabat autem ei Generalis, se mercatorem quidem nō esse, sed legatū Principis Mauritii, cuius rei testimonium essent literæ sigillo Principis munitæ, propterea etiam pecunia non esse instructum, quam *Generalis de Regē in Candy cum Regē in Achien sermonem instituit.*

pro pipere & aromatibus solueret. Interim tamen habere se in naui sua multas merces, vtpote ferrum & linteamina varii coloris, quæ ex naui Lusitanica acquisierant. Petebat igitur, vt si Rex eiusmodi mercib. delectaretur, daret sibi ducentos *Baeres* piperis, & merces illas in solutionem acciperet. Cumq; placere Regi permutationem hanc animaduerteret, mensem sese vnum atque alterum ibi permansurum pollicebatur.

Scapha cum pipere & quibusdam Hollandis submersa.

Septimo Ianuarii cum sex plus minus *Baeres* piperis à Rege accepissent, ingens tēpestas subito exorta scaphā vndis oppletā suffocauit, perieruntq; cum pipere isto nouem Hollandi, reliqs septem (fuerāt enim 16. in scapha) periculum mirabiliter euadentibus, & in Insula *Gomerspoel* herbis sese & foliis arborum sustentantibus ad diem vsque septimum, quo ad naues iterum sunt reuersi. Eandem ferè fortunam experta est etiam scapha alterius nauis nempè Arietis. Cum enim 10. Ianuarii ad littus aliqui eius beneficio traducendi essent, vi fluctuum subito in eam insurgentiū superata & subuersa est. Submersus est autem hoc casu chirurgus eius nauis solus, reliquis cum apprehensa scapha periculum euadentib. Non parū hoc infortunio Generalis mouebatur, verum cum sciret nihil sine prouidentia Dei accidere nobis posse, ad patientiam sese componebat. Remittebant autem venti postmodum, ita vt sine periculo merces suas ad littus traducere & lucri exinde facere haud parum possent.

Naues duæ Selādicæ ad Achiā ciuitatem adueniunt.

Cæterum dum ita circa merces suas distrahēdas occupati essent, appulerunt ad illum portum duæ naues Selandicæ, quarū altera *Vlißingen*, altera vero *Goes* dicebatur. Veniebant autem ex *Metecalo* in *Celon*, vbi reliquerant nauem tertiam *Zieriezee* dictam, expectantem ibi Gubernatorem suum Sebaldum de Weert, qui ad Regem in *Candy*, à quo Generalem Hollandorum amicè acceptum fuisse in *Matecalo* audierat, se contulerat. Sub finem autem Ianuarii Nicolaus Petri Vlissingensis, & Lucas Iansonius Antwerpiensis ab *Achien* versus *Galecutum* profecti sunt, exploratum qualis ibi negotiatio cum lucro exerceri posset. Erant hi duo ex societate Selandica, quæ reparādis & purgandis nauib. suis, donec isti reuerterētur, operam dabat. Generali quidem Rex in littore domum inhabitandam detulerat, quę ab Anglis ex lapidib. extructa & aduersus incendium probè vndiq; cōmunita, conclauibusq; & cellulis, eleganter exornata erat, aulam quadratam nō paruæ capacitatis sibi coniunctam habens. Hanc domum Angli abeuntes, Regi donauerant, vt inde facile coniicere posses, reuerti ad hunc portum eos vix in animo habere. Itaq; Generalis insigne quidē Princip. Mauritii ei, dum ibi esset, affixū voluit. Interea & nauis tertia *Zieriezee* ex *Matecalo* aduenit, cum Sebaldo de Weert, cui in regno *Candy* multū honoris & beneuolētiæ exhibitum fuerat. Antequam autem ad Regem venisset, literas acceperat ab Erasmo Matisbergio, quem à Generali ibi relictū, Rex Secretarium suum fecerat, ex quibus didicerat quomodo sese ibi gerere & erga Regem exhibere deberet.

Sebald. de VVeert venit à Rege in Candy ad ciuitatem Achiam.

Gionlefortus moritur.

Dum igitur in portu ad *Achiam* ciuitatem hærerent, graui correptus morbo Iungerheltus, nauis alterius, quam Arietem vocabant, Pręfectus diē suum obiit. Mortuus vero est etiam 7. Martii Gionlefortus, qui Viceadmiralis in eadem naui antea fuerat, iam autem ab officio remotus erat, propter conspirationem aliquam, quam contra Generalem & communem vtilitatem in populo molitus fuerat. Octauo autem Martii appulerunt ad portum hunc tres naues ex Hollandia, duæ nimirum ex Amstelrodamo, quarum altera *Hollandia* dicta, Gubernatorem habebat Melchiorem Voglerum, altera vero *Accipenser*, Gubernatorem Nicolaum Simonem Michaelem. Tertia erat Sepes Hollandica ab Enchausen, Præfectum habens Iacobum Petri,

Petri. Gubernatores hi quamprimum aduenissent ad nauem *Zieriezee*, Sebaldum de Weert salutatum sese traduci curabant: instructi enim erant literis, quibus prædictus Sebaldus constitutus erat Viceadmiralis illarum nauium, quę sub Admirali Widebrando Warwiccio negotiationes in Orientali India exercebant. Hæc constitutio vt grata erat omnibus, ita maximè etiam necessaria videbatur, cum trium Selandicarum nauium Præfecti æqualem haberēt potestatem, atq; ita summò necessarium esset, superiorem aliquem constitui, cuius auctoritati & arbitrio reliqui submitterentur. *Sebald. de Weert constituitur Viceadmiralis.*

Afferebant præterea nuncium secum de Hollandicæ Selandicæque societatum firmata confœderatione, itaq; Generalis Hollandorum, hoc nuncio accepto, constituit statim, vt imposterum quamdiu simul essent, vexillum nullum explicarent, ingressus etiam nauem *Zierie͡zee*, vbi Viceadmiralem cum vniuerso Senatu militari congregatum sciebat, obtulit eis suam & suorum operam, si forsitan ea opus haberent, quod ipsis omnibus gratum & acceptum accidit. Sed & merces & pecuniam suam ipsis obtulit, vt ita causa omnis maiori precio coemendi piperis euitaretur, illud solummodo expetens, vt sibi naues suas præ cæteris onerare & piper coemere liceret. Cum primus in portu isto fuisset, & à Rege etiam promissionem illam accepisset, quod præ aliis quicunque etiam aduenturi essent, piper accipere deberet; Respondit Viceadmiralis, se de petitione hac in Senatu deliberaturum. Interea vero Generalis omnia parauit vt prima occasione inde solueret, relicturus ibi *Arietem*, nauem scilicet alteram & Cornelium Speccium cum mandato, vt omnia probe curaret, & primam quamq; piperis vecturam acciperet. *Generalis offert suam operam confœderatis Selādis.*

Accidit autem, vt 23. Martii Viceadmiralis Generalem interrogaret, an *Arietem*, prædictam nauem confœderatis vendere vellet: dicebat enim constituisse se propediem inde cum omnibus nauibus soluere, quo facto futurum, vt nauis ista sola ibi relicta haud parum experiretur à Lusitanis periculi, cum præsertim sufficientibus ministris instructa non esset, & ad septimum vsque mensem ibi adhuc subsistere cogeretur, donec vecturam suam acciperet. Generalis igitur re deliberata, tandem 25. Martii respondit, se nauem istam venditurum, si honesta & æqua conditione id fieri posset, inita enim ratione, deprǽhenderat nauem istam vix sedecim adhuc mensibus itineris sui cursum absoluere posse, & vero adhuc 1200. libras plus minus requirere, sed & 300. libris opus habere pro victu & sustentatione, si in portu ad *Achiam* ciuitatem septem vel octo mensibus ipsi hærendum esset, domum vero reuersam vix tantum precii refundere posse. Exoneratam igitur & euacuatam prius omnibus rebus, quæ ad sustentationem & munitionem pertinent, nempe cibariis & armis, omnibusq; mercibus aliis, pro 325. libris eam tandem Viceadmirali cōcessit. Sed & 24. onera piperis in gratiam Generalis sese prima occasione empturum, & cum Pręfecto Cornelio Speccio gratis domum transmissurum Viceadmiralis promittebat. Cumq; conuenisset inter eos, quod non maioris piper emere quam 12. *Tapelis* vellent, nisi forsitan extrema id necessitate postulante, & quidem cum communi Confœderatorum consensu, consultum iudicarunt, Regem coniunctim accedere, eiq; significare, quod licet Cornelius Speccius domum eam, quam Generalis à Rege acceperat, inhabitaret, reliqui vero quos Viceadmiralis ibi relicturus esset, in Belgarum diuersorio sese continerent, ad vnicam tamen societatem omnes pertinerent, nec quemadmodum ędibus, ita etiam commercio disiuncti essent, fecissent enim hoc, vt ab incēdiorum periculo merces suas eo melius conseruarent atq; vindicarent. *Generalis Arietē nauem suam vendit.*

 Contra-

Generalis Regi in Achien valedicit.

Contractus hic ex re vtriusq; partis erat, nam Generalis quidem commeatu & populo ex hac naui in suam translato, vires suas mirificè confirmabat. Viceadmiralis vero, quæ maioribus suis non posset, hac mediocri naui facile aditurum sese loca & multum profecturum sperabat. 30. igitur Martii Generalis cum Viceadmirali & Præfectis aliis ad Regem profecti sunt, vt & valedicerent ei, & quos ibi relicturi erant ministros siue procuratores commendarent. Rex eos amicè & honorificè accepit, donatosq; certis muneribus dimisit, constituerat quidem eleganti gladio & poculo aureo Generalem donare, sed cum ea nondum perfecta essent, tempus vero non pateretur eum diutius ibi commorari, donauit ei Rex inter alia duodecim *Baeres* optimi piperis, & honorificè eum à se dimisit. Cum igitur omnem non solum beneuolentiam, sed & immunitatem & libertatem bona sua ex nauibus ad littus, & inde ad naues iterum absque vllo telonio transferendi Generalis ibi expertus esset, bona Hollãdos spes habuit fore, vt quicquid vellent, imposterum apud hunc Regem facilimè obtinerent.

Generalis ex portu Achiensi soluens Procuratorem ibi aliquē relinquit.

Rebus igitur omnibus perfectis, cum Cornelio, qui vnà cum Iulio Michaele & duobus ministris in *Achien* mansurus erat, imperasset, vt non solum conuehendis illis 24. piperis oneribus, sed & mercibus, quæ adhuc superessent, cum lucro distrahendis, & pecuniæ benè collocandæ studeret, tertio tandem Aprilis ex portu illo soluentes abierunt, relinquentes ibi Lusitanos quosdam, qui pro honesta remuneratione salui conductus literas à Generali acceperant, metuentes nimirum sibi ab Hollandis, cum ne maxima quidem nauis, quę à S. Thoma versus *Malaccam* contenderet, periculum euadere potuisset. Cęterum Generalis quidem Bantamum versus iter suum direxit. At vero Viceadmiralis Sebaldus de Weert, qui ducebat secũ septem naues, cum Generali aliquot anchoris camelisq; siue funibus subuenisset, multa tormentorum displosione ipsi valedicens, Insulam *Celon* petiit.

Generalis iter suũ versus Bantamũ dirigit.

A quarto igitur Aprilis ad vigesimum vsque secundo vento vtentes, iuxta littus *Sumatræ*, nauigarunt, lineam Æquinoctialem quinta iam in hoc itinere vice superantes. Sunt in hoc littore multi sinus multique anfractus & multæ Insulæ. Cum vero nec *Pimiamerum* nec *Ticos*, vbi libenter appulissent, inuenire Generalis posset, cursum suum ad fretum *Sunday* dirigi iussit, in quo duæ admodum eleuatæ cernuntur Insulæ, ad quarum alteram *Sebely* nomine, aqua dulci multisq; arboribus & apris refertam appulit. Interim ventus ingens exortus ad 25. Aprilis diem eos ibi detinuit, quo ad cõtinentem *Iauæ* delati sunt, vbi cum cibis recentioribus coemendis studerẽt, de nouem nauibus Germanis ad *Bantamum* hærentibus certiores facti sunt, videntes simul etiam cymbam aliquam, qua Germanorum aliqui vehebantur, qui ad nauem tamen Generalis appropinquare, quod Lusitanos in ea esse metuerent, recusarunt.

Generalis Bantamum aduenit.

Superatis igitur tandẽ multis laborib. 27. April. ad *Bantamum* appulerũt, inuenientes ibi Admiralem Widebrandum Warwiccium, cum nouem vnitarum societatum nauibus, qui simul atque de Generalis aduentu certior factus esset, ablegato Petro quodam Cornelio, vti ad sese veniret, eum rogauit, morbo enim correptus in Insula *Dovo Poelo* decumbebat, vt ipsemet eum accedere non posset. Abest hęc Insula à *Bantamo* exiguo miliari, quo cũ Generalis aduenisset, literasq; aliquot à Viceadmirali Sebaldo de Weert, Admirali obtulisset, amicè ab eo exceptus, atq; post multa de nauib. sociis, quæ cum Sebaldo de Weert, *Celon* Insulam petierant, colloquia, honorificè iterum dimissus est. Sequenti die cum inuitatus iterum ad Admiralem venisset, ibique omnes prædictarum nauium Gubernatores congregatos inuenisset,

uenisset, rogauit eum Admiralis, vt si vestimentorũ & linteaminum, quæ ex superata naui Lusitanica acquisiuerat, aliquid adhuc in naui sua reliquum haberet, nemini id præterquam sibi venderet, Generalis id se facturum stipulata manu ei promisit.

Postero die, 29. nempe Aprilis, Generalis ad littus ciuitatis *Bantami* profectus est, vt Anglos ibi negotiationem suam exercentes salutaret & compellaret, qui gratum sibi eius aduentum esse multis verbis testabantur, rogabant autem idem, quod Admiralis antea, nempe vt linteamina Indica, quæ haberet, sibi venderet; verum Generalis modestè se excusans, omnia Admirali iam diuendita esse, nec posse se contractũ illum rescindere dicebat. Veniebat autem interea *Sabander* ex ciuitate; eum salutatum, monebatque, vt si piperis coemendi gratia aduenisset, *Roby, Roby, Byle, Byüken*, hoc est, telonium & vectigal, more consueto solueret. At ille nauem suam mercibus iam satis oneratam esse dicebat, appulisse vero ad ciuitatem hanc socios aliquos quæsitum, quos in patriam rediturus comites itineris haberet, quod si igitur telonii quid sibi adhuc deberetur, compellare eum Admiralem Warwiccium iubebat, ad cuius societatem ipse quoque pertineret. *Generalis vrbem Bantamum ingreditur.*

Cæterum cum Sympatriotis suis melius quam Anglis faueret, Generalis vendidit 5. Iunii die linteamina & vestimenta sua Indica prædicto Admirali Warwiccio 16400. dimidiis Philippicis, hac tamen conditione, vt quantum piperis naui sua capere posset, ei traderet, & rerum necessariarum defectum, accepto tolerabili precio, suppleret. Quo facto, initium coemendi piperis à procuratore Admiralis factum est, soluente pro singulis saccis 60. librarum, quinque dimidios Philippicos. Soluentes autem ex portu isto naues duæ *Chinam* versus abierunt. Cumq; *Cornelius Iansonius Nennip* ciuis Enchusianus, qui nauigationis huius cursum ad 27. vsque diem annotauerat, morbo quodam corriperetur, præter omnium expectationem 15. Iunii die vitam cum morte commutauit. *Generalis vendit Admirali linteamina sua Indica.*

Appulerunt aũt porro ad portum *Bantami* 20. Iunii die, Admiralis Iacob. Hemskirchius cum naui sua, cui *Candido Leoni* nomen est, & Viceadmiralis eius Ioannes Pandlus cum naui quæ vocatur *Alcmaer*, adducentes secum eximiæ magnitudinis nauem Lusitanicam, quæ ex *Macan* Chinæ veniens *Malaccam* petere voluerat. Hanc nauem expectarant non procul à *Iorre*, vbi in manus eorum post conflictum & pugnam satis vehementem tandem incidit. Erat ea cupro, alumine, serico & auro rudi, multisq; rebus aliis pretiosissimis onerata, ita vt septuagies cẽtena millia florenorum excedere putaretur. Mirabantur autem Lusitani non parum prudentiam Admiralis Hemskirchii, qua in oppugnanda & superanda naui sua vsus esset. Percipiebat igitur Generalis insignem ex hac victoria lætitiam, præsertim cum intelligeret simul ex illis, quomodo Selandi ad Sanctam Helenam, & Angli etiam iuxta *Lixs* fluuium naues aliquot Lusitanicas exsuperassent. Non minori autem voluptate afficiebatur Hemskirchius Admiralis, audiens quomodo Generalis ad *Matecalo* in *Celon* Lusitanis triremes aliquot eripuisset, & particeps etiam fuisset expugnatæ nauis illius Lusitanicæ, quæ à S. Thoma *Malaccam* versus nauigare voluerat. Erant hæc omnia cunctis auditu iucunda, cum honestius esse, vi aperta Lusitanos aggredi & adoriri, quam ipsis blandiri & inimicitiam quam corde premunt verbis dissimulare, omnes putarent. *Iacobus Hemskirchius nauem Lusitanicã expugnat.*

Cæterum cum viderent Iauani, augeri quotidie nauiũ in portu ad *Bantamum* numerum, nolebant amplius eo quo cœperant precio piper suum vendere, existimantes fore, vt, velut ante hęc tempora factum, alter alterum *Generalis nauem suam Agnum dictum ab Anglis redimit.*

vrgendo,

vrgendo, quo citius vecturam suam acciperet, plus pecuniæ se numeraturum diceret. Verum cum Iauani precium mutare & augere vellent, cessabant procuratores vnitarum nauium, & ab emendo planè abstinebant, donec ad constitutum primo precium iterum descenderent. Generalis igitur videns tolerabili precio piper iam coemi posse, *Agnum* nauem suam, Anglis, vt supra dictum est, diuenditam, iterum redemit, reparatamq; octingentis saccis piperis onerauit.

Generalis nunciū accipit de Sebaldo de VVeert à Rege in Candy interfecto.

Dum hæc ibi agerentur, appulit 13. Augusti die ad portum *Bantami* nauis quædam Selandica, quam *Goes* siue Anserem vocant. Eius Gubernator *Petrus Ianson Soet*, triste admodum nuncium ex Insula *Celon* afferens, dicebat, Viceadmiralem Sebaldū de Weert vna cum 50. plus minus personis in *Matecalo* à Rege in *Candy* miserabiliter interfectū esse. Stupebant ad hanc relationem omnes, maximè vero Generalis, qui aliquoties Rege isto conuersatus, & summam beneuolentiam ab eo non solum, sed & ab omnibus eius subditis expertus fuerat: quærebat igitur ex Gubernatore, quid causæ Regem ad tam crudele facinus impulerit? Qui respōdebat, existimare sese causam huius facti hanc fuisse, quod quatuor naues Lusitanicas, quas expugnauerat Sebaldus, cum omni populo saluas & incolumes dimiserit; cum tamen *Modeliar* Emanuel Dios ipsemet in *Matecalo* fuisset, petiissetq; Lusitanos & Mesticos aliquot ad Regem transmitti, quod obtinere tamē non potuerat. Addebat porrò Gubernator ille, Reinerum Iansonium, quem Generalis apud Regem reliquerat, datis ad Viceadmiralē literis, eum monuisse, vt si gratiam Regis conseruare vellet, Lusitanos ante aduentum eius non dimitteret. Rex enim accepto de expugnatione nauium Lusitanicarum nuncio, iter ipsemet ingressus erat, in *Matecalo* Lusitanos aliquos sese reperturum sperans. At vero Viceadmiralis accepto de aduentu Regis nuncio, Lusitanos omnes cum nauibus suis dimisit. Ira igitur accensus Rex, sinistri aliquid alere Viceadmiralem, & Lusitanorum vti quidem profiteretur, verū hostem non esse suspicari cœpit.

Rex in Candy verus Lusitanorum hostis est.

Rex ille Lusitanis planè nullam fidem habet, semperq; insidias sibi strui existimat, si cum Lusitanis amicè agatur, idque inde factum quod apud Iesuitas in *Goa* & *Columbo* educatus, multa perfidiæ ipsorum exempla obseruarit. Cum igitur in *Matecalo* esset, Viceadmiralis splendide admodum cum trecentorum armatorum comitatu obuiam ei processit, petens vti nauem suam ascendere dignaretur. At ille quasi ægrè ferens tot armatos in terram suam procedere, iussit eum populum suum ad naues iterum remittere, esse enim de quo secretò cum eo agat. Viceadmiralis igitur maxima populi sui parte dimissa, cum aliquot tantum Præfectos tubicines & ministros alios secum haberet, cœpit iterum rogare, vt ad nauem suam Rex procederet, Rex vero postulabat, vt cum nauibus suis versus promōtorium seu *Poincto di Gallo* pergeret, & se in expugnando *Poincto* illo iuuaret: constituisse enim sese exercitum suum terra eo ducere, & promontoriū illud expugnare. Viceadmiralis operam quidem suam ei offerebat, rogabat tamen vt nauem suam prius conscenderet. Cumq; id se facturum Rex recusaret, respōdit ille, siquidem Rex nauem meam aspernetur, operam ipsi etiam meam in expugnando *Poincto di Gallo* denegatam sciat. Quo audito Rex ira accensus, *Matta esto can*, inquit, & statim horrenda illa cædes secuta est.

Generalis dolet suorum amicorum interitum.

Et hæc quidem tragœdiæ istius summa est, quæ Generalem quidem ingenti affecit mœrore, qui dolebat non tantum ob interitum tot præstantissimorum amicorum, sed & propterea quod metueret, interruptam esse hoc inopinato casu amicitiam, quam cum Rege illo cōtraxerat, à quo literas ad

Princi-

Principem Mauritium & vnitarum Prouinciarum ordines acceperat, quibus auxilium contra hostes suos Lusitanos ab Ordinibus Rex petierat, quos ipse vero odio persequitur, vt ex multis argumentis colligere difficile non fuit. Compræhenderat Generalis quoque dum in portu ad *Matecalo* hæreret naues aliquot Lusitanicas, easq; Regi donauerat, accipiebatq; *Modeliar* tum quotquot Lusitanos, & *Mesticos* exp[illegible]ebat, qui ad Regem cum optimis, quæ in nauibus reperiebantur, armis d[illegible]ti sunt. Sed & decedens ex *Matecalo* triremem nouam multa *Arecca* oneratam igne cremauit, vt *Singales* viderent verè eum Lusitanorum hostem esse. Quod si igitur Viceadmiralis ille idem fecisset, infortunium hoc omne euitasset.

Sed hæc hactenus de Viceadmirali isto. Porrò 28. Augusti Generalis ex portu Bantami soluens abiit cum nauibus duabus aliis, quarum altera *Concordia* dicebatur, & Præfectum habebat *Ioannem Mermannum*, altera *Potentia ab Enchausen*, Præfectum habens *Arnoldum di Valee*. Comitabatur autem abeuntem Admiralis Warwiccius, cum Celoce cui nomen est *Roterodamo*. Cumque quinque plus minus miliaribus à *Bantamo* abessent, accipiebat Generalis ex Celoce illa circiter 1200. saccos piperis, quos in portu naui suæ imponere noluerat, ne cogeretur telonium vel vectigal mille & quingentorum dimidiorum Philippicorum pro qualibet naui persoluere. Isthic loci Admiralis etiam rationes cum Generali conferens, pollicitus ei est, quod quatuor millia dimidiorum Philippicorum pro pipere adhuc soluere, & nauem, quę *Mauritius* vocatur, eo onerare vellet, offerens ei pro residuo quod Generali adhuc debebatur, literas Collybi, continentes summam 5625. dimidiorum Philippicorum, quos domum reuersus à Principalibus seu Curatoribus Indicarum nauigationum acciperet. *Generalis ex portu Bantami soluit.*

Sic igitur tãdem Generalis post infinitos labores & pericula plenariam vecturam pro duabus suis nauibus, quæ vocantur *Ouis* & *Agnus*, nempe 5500. saccos piperis, Gemmarum item, Cinnami siue Cassiæ, Serici, Macis, *Indigo*, qui color est cæruleus preciosissimus & nucum myristicarum haud exiguam copiam diuina fauente gratia accepit. Antequam autem abiret, proponebat Admirali deliberandum, an vellet merces illas ad se recipere, & sua naui suisq; sumptibus in Belgium deuehere, hoc enim si facturus esset, constituisse se dicebat cursum suum *Chinam* & *Iappaniam* versus dirigere, & postea per Septentrionem domum redire. Cum igitur Admiralis hoc facere recusaret, ipsique auctor esset, vt, cum mercibus adeo iam abundaret, vt necesse haberet 2500. saccos piperis alteri cuidam in Belgium deferendos committere, cursum suum in Septentrionem non conuerteret, sed recta domum contenderet, itaque secuturum sese eius consilium pollicitus Generalis, bona cum gratia 30. Augusti die à *poplo Pinion* soluit & iter suum domum versus direxit. *Generalis acceptà plenaria vectura Admirali valedicit.*

Manserunt autem in portu *Bantami* quinque adhuc confœderatarum nauium, & Admiralis Hemskirchius cum tribus nauibus. Comites autem Generalis erant *Concordia* & *Potentia ab Enchausen*, naues nimirum duæ, vt ita quatuor simul soluentes inde discederent. Ex his quatuor nauib. Generalis primo mense vexillum præferebat, secundo mense *Concordia*, & sic consequenter donec in patriam redirent. Sub vesperam autem primi diei ad cõtinentem *Sumatræ* appulerunt, vbi cum dies aliquot conuehendis aquis attribuissent, quarto Septembris die, explicatis iterum velis, progressi sunt, ad octauum Nouembris vsque, quo Caput bonæ Spei 34. gradibus versus Septentrionem à se abesse deprehenderunt. 26. autem Nouembris die omnes quatuor naues in portu Sanctæ Helenæ conuenerunt. Cumque recreandis *Generalis in comitatu duarũ aliarũ nauium domum repetit.*


corporibus ibi per dies aliquot studerent, venit ad eos 29. Nouembris mercator quidam, *Guilhelmus ab Hagen* nomine, cum naui non admodum magna, quam *Venatorem* vocabat. Is mense Martio ex portu Bantami soluisse se dicebat, quod omnibus quidem mirum auditu fuit. Non audebat autem cum naui sua Caput bonæ Spei contingere, cum à procellis & fluctibus admodum læsa esset, itaque Insulam, quæ *Mauritius* vocatur, se petiturum, ibique, quod supererat hyemis, quatuor nempe menses integros, reparandæ naui daturum dicebat.

Generalis continuato itinere domum tandem saluus reuertitur.

Ex portu Helenæ 29. Decembris iterum soluentes 6. Ianuarii Anno 1604. ad Insulam *Trinidado*, quæ octo gradibus Austrum versus ab Æquinoctiali linea distat, peruenerunt, superantes lineam ipsam 14. Ianuarii, quod quidem sexta iam vice in hac nauigatione factum esse, ex illis, quæ hactenus annotata sunt, constat. Primo Martii, cum assecuti essent eleuationem 49. graduum, venit ad eos nauta quidam Lubecensis, qui per procellas & tempestates maximas malum & carbasa amiserat. Primus autem omnium Generali triste illud de obitu Serenissimæ & Potentissimæ Elisabethæ Angliæ Reginæ nuncium afferebat. Octauo Martii ventorum iniuria in Angliam reiecti, ad Londinum ciuitatem applicarunt, indeq; post dies aliquot iterum soluentes, tandem 24. Martii die ad Vlissingensis ciuitatis portum appulerunt, gratias agentes Deo Opt. Max. quod post tot pericula in patriam eos tandem reduxisset incolumes, eratq; eorum aduentus omnibus longe gratissimus, quod ex frequenti ciuium concursu & congratulatione omnium colligere difficile non fuit.

F I N I S.

NAVI-



NAVIGATIONIS EX ALEPO AD REGNVM PEGVI VSQVE, NOVEM CONTINVIS ANNIS à Caſparo Balby & aliis abſolutæ deſcriptio.

CAPVT I.

Cur non mentio hic quoque fiat itineris ex Venetiarum vrbe, Alepum vſque, & totius operis diſtributio.



Cvm iter, quod ex Venetiis Alepum ducit, tritum ſatis & nemini ignotum ſit, ſuperuacaneum fuerit eius rationem hic percenſere. At vero cum multi quotidie reperiantur, qui ex Venetiis Alepum verſus nauigationem ſuſcipiant, operæprecium fecerit, qui itineris, quod ex ciuitate Alepo per Babyloniam verſus Indiam Orientalem ad *Pegu* vſque ducit, rationem breuiter expoſuerit. Quod vt hoc quidem Tractatu fiat cõmodius, ad decem præcipua capita, ceu partes libri, Lectori erit attendendum. Principio enim obſeruabit, quo itinere *Alepo Babyloniam*, deinde quomodo *Balſaram*, tertio, quomodo ad *Ormy*, quarto quomodo ad *Diu*, quinto ad *Chiauul*, ſexto ad *Goa*, ſeptimo ad *Cocchi*, octauo ad *S. Thomam*, nono ad *Pegu*, & tandem ad *Martaban*, ſit nauigandum. *Decem huius operis partes.*

CAPVT II.

De itinere quod Alepo Babyloniam ducit.



Vt itineris ratio, quod Alepo Babyloniã ducit, rectè deſcribatur, ſciendum eſt, mercatores quoſdam 13. Decembris Anno 1579. Alepi congregatos, cum iter illud ingredi vellent, mercibus ſuis camelis & mulis impoſitis, equos ſuos conſcendiſſe, & veſperi in loco quodam diuertiſſe, qui *Bebe* vocatur, ſequenti die ſummo diluculo iter iterum ingreſſi venerunt veſperi ad *Saguir* locum reficiendis virib. admodum conuenientem, vbi cum per noctẽ illam mãſiſſent, egreſſi tertio die, *Albiram* ciuitatem ſub veſperam aſſecuti ſunt. Ingreſſi autem ibi nauem, ſuperato Euphrate ad vrbem contendebant. Cumq; intelligerent loca iſta pyratis & latronibus abundare, nec tutum eſſe ibi pernoctare, abſque vlla mora merces ſuas, à multis adiuti, quos ad hanc operam peculiariter conduxerant, ad nauem transferebant, & ad ſiniſtrum ciuitatis latus ſe traduci curabant, appellentes ad ædes cuiuſdã, qui dicebatur *Muſtafa*, & nauis iſtius Dominus erat, debebatq; *Bebe. Saguir. Albir. Quo loco Euphratem conſcendere mercatores ſoleãt.*

bebatq; eos porrò ad locum quendam *Fellugia*, vnius diei itinere à Babylonia distantem traducere. Cum autem ad ædes *Mustafæ* venissent, obducebant nauem illam totam velamine siue stragulo, quod in hunc vsum Alepi parare curauerant. Cumque quintus Ianuarii esset, & ipsi propter intensissimũ frigus continere se in naui non possent, conducebant quatuor vigiles, qui die noctéq; in naui manentes curam eius agerent, ipsi autem manebant in ædibus *Mustafæ*, qui omnem ipsis beneuolentiam exhibebat, excogitatis variis mediis, quibus melancholiam ipsis adimeret, quam ex metu latronum superioribus diebus contraxerant, idque neque iniuria, paulo enim ante eorum aduentum pyratę, *Caravana* seu naui serico onerata direpta, tres mercatores, duobus grauissimè vulneratis, interfecerant.

Munera cui Sangiacco & eius ministris in Albir sunt offerenda.

Die huius mensis 15. mercibus & cibariis suis naui *Mustafæ* impositis, ad *Sangiacco* ciuitatis *Albir* sese conferebant, offerentes ei munera sua, nempe quatuor ex sacchraro paratos panes, quatuor cereos constantes singuli *Saia* vno, quod est moneta, libram Venetam, vel apud nos duodecim cruciatos valens, & aliquot globulos saponis siue smegmatis Alepici. Sed & *Cacagia* prædicti *Sangiacco* famulus panem ex sacchraro confectum vnum, cereos duos & smegmatis parum accipiebat. *Emin* vero, qui ad telonium istius loci sedet, vno pane ex sacchraro & saponis paululo donabatur. Tametsi autem frigus ipsis nõ parum molestum esset, illudq; cum multa niue indies augeretur, cogebantur tamen ibi hucusq; cõmorari & naues, quarum aliquæ ad societatem suam pertinentes adhuc venturæ dicebantur, expectare.

Nauium quibus in Euphrate vtuntur descriptio.

Naues hoc loco vsitatæ alia à nostris forma constructæ sunt: constant enim duplici fundo ex asseribus, eo fine constrato, ne ex impulsu fluctuum facilè mergantur, fundo huic corbes imponuntur, cooperiunturq; postmodum asseribus, ita dispositis, vt alter alteri duorum digitorum latitudine immineat, rimulas autem, quas vel musco vel stupa lini obturare nostri solent, ipsi gypso oblinunt, vsum mali ignorant, prora instar Venetarum scapharum acuminatá est, aliquanto tamen plus eleuata, puppis vero incuruata est figuram rotundi Delphini repræsentans. Huic claui loco annexũ est lignum rres passus longum, cuius extremitati segmentum aliquod asseris affixum est, & hoc quidem ligno nauem modo in dextrum modo in sinistrum ducere latus possunt, Patrono siue Gubernatore in medio nauis constituto, & lignum illud ad placitum suum mouente. Naues autem singulæ trabes habent siue transtra duo, alterum in anteriori, alterum vero in posteriori parte, duplici fine constrata, nempe, vt & naues firmiter contineant, & remigibus inseruiant. Sedentes enim, vt in triremibus fieri apud nos solet, remos, qui ligna tantũ oblonga sunt segmentum asseris extremitati affixum habentia, trahunt.

Ab Albir ciuitate soluentes iter iterũ ingrediuntur.

Cæterum cum naues, quas expectarant, aduenissent, ipsique vectigal siue tributum, pro singulis nempe nauibus, 19. Venetos more ibi vsitato soluissent, conduxerunt pro sua naui quatuor ministros remiges, quorum auxilio ad ciuitatem *Annæ* perducerentur, numerantes singulis tres Venetos. Soluentes igitur circa meridiem ab *Albir* ciuitate, parum promouebant, vix enim pagum *Caffera*, qui in dextro Euphratis latere non procul ab *Albir* ciuitate abest, attingere poterant. Sequenti 16. Ianuarii die iter iterum ingressi vesperi ad pagum *Maxara* delati sunt, qui in sinistro fluminis latere alteri cuidam oppositus est, qui *Cerchis* vocatur. Cogebantur autem ibi subsistere & tres ex societate sua naues expectare, quæ cum nimio onere grauatæ essent, fundo adhærentes progredi non poterant, donec allata ex *Albir* ciuitate naui adhuc alia, pondere suo aliquantulum leuarentur.

Caffera.

Maxara.

Octauo

Periculum in Euphrate à ſaxis & impedimentis aliis quomodò vitandum.

Octauo igitur tandem die poſt aduentantes non ſolum multis modis deformatæ erant, ſed & altera ad ſaxum illiſa tantum aquæ hauſerat, vt omnes reliquarum etiam nauium miniſtri totam noctem hauriendis & extrahendis ex ea aquis inſumere cogerentur. Interea dum reparandis nauibus ſtuderent, aduenerũt adhuc duæ naues plumbo oneratæ, Babyloniam ſimiliter petituræ, coemerat enim plumbum illud in *Albir* ciuitate *Chiaus* quidam, eo ad munitionem vſurus. Vt vitet autem quilibet periculum, quod à ſaxis & lignorum impedimentis, quæ abſcondita in Euphrate latet, nauibus imminet, operam dabit ſedulo, ne nimio naues ſuas onere grauet prematque.

Cæterum moram hoc in loco nectabant ad vndecimum vſque diem, quo ſoluentes iterum ad *Tollevivi* ſub veſperam delati ſunt, vbi cum naues *Tollevivi.* quatuor in fundo conſediſſent, ad meridiem vſque ſequentis diei commorandum ipſis fuit, donec magno cum labore & periculo inde dimouerentur, progreſſi autem eodem die ad *Metao Lantache*, pagũ in dextro fluminis *Metao Lantache.* latere ſitum, requiebant ibi per noctem. Sequenti vero die iterum progreſſi, ad deſolatum quoddam caſtellum, *Caltatelnegiur* nomine, veſperi appule- *Caltatelnegiur.* runt. Poſtero die depugnandum ipſis ſemel atque iterum cum Arabibus fuit. Quidam enim ex nauium altera in terram deſcendentes inciderant in Arabes, fuiſſentque proculdubio ab eis in captiuitatem abducti, niſi qui in reliquis nauibus, ſclopis, arcubusq; & armis aliis inſtructi erant, auxilio ipſis veniſſent. Delati autem ſub veſperam ad *Zoxeniaſir* pagũ, totam noctem ar- *Zoxeniaſir.* mati vigilabant, metuẽtes, ne forte ab Arabib. qui ex rapinis viuunt, opprimerentur. Altera die pagum *Miſeraſi* in dextro fluminis latere ſitum aſſe- *Miſeraſi.* quebantur, vbi non tantum ob frigus maximum, ſed & ob metum latronum, à quibus caſtellum *Beles* è regione ſitum, raro vacuum reperitur, pa- *Beles.* rum quieſcere poterant.

Vt illuxit autem dies, iter iterum ingreſſi *Blis* pagum in ſiniſtro latere *Blis.* ſitum attigerunt, tractum illum à ſaxis & lignis adeo periculoſum depræhendentes, vt licet merces ſuas, per naues variè diſtribuerẽt, aquam tamen omnes haurirent. Subſiſtere igitur ibi vno atq; altero die cogebãtur. Reparatis autem iterũ nauib. veſperi ad *Meliolzura* appulerunt, vna ex nauib. quæ *Meliolzura.* ad radicem arboris cuiuſdam illiſa cum bonis omnibus ſubmerſa fuerat, poſt ſe relicta. Verebantur aliqui fore, vt cogerentur bonorum aliquid in ſuas naues recipere; ne igitur maiori quam ferundo eſſent onere grauarentur, cum duabus nauibus ſtatim diſceſſerunt, reliqui vero cum quatuor nauibus ibi remanſerunt, daturi operam vt bonorum aliquid ſaluarent. Aderant autem ſtatim latrones bona illa abrepturi, verum mercatores ſclopis ſuis in fugam eos cõiecerunt, qui partem etiam bonorum in nauiculã, quam vacuam ſecum hactenus duxerant, exponebant, nauemque ingenti conatu ex vndis protractam aliquo modo reparabant, integrum diem ibi ſubſiſtentes. Cumque poſtero die modicum illud quod ex naufragio recuperauerant, naui iterum impoſuiſſent, progreſſi ad *Chalagiabar* in ſiniſtro flu- *Chalagiabar.* minis latere, ſequenti veſpera ad *Elaman*, & iterum ſequenti ad *Suriech* ap- *Elaman. Suriech.* pulerunt, caſtello *Beletſurie* poſt tergum relicto.

Die 25. Ianuarii continuato itinere ad *Raccha* in ſiniſtro fluminis latere *Raccha.* appulerunt. Locus hic eleganti caſtello conſpicuus eſt, quod *Sangiacco* quidam Turcicus inhabitat, qui miſſis aliquot miniſtris interrogabat, an pannorum laneorum aliquid in nauibus haberent? Negabant mercatores, at illi funiculis, quibus conglobata mercatorum bona erant, vi diſſectis atq; diſruptis, inquirere non ceſſabant, donec quatuor pannos coccino precioſiſ-

ſimo tinctos inuenirent. Hos *Sangiacco* oblatos, ipſe diſſecari ſtatim curabat, referens mercatoribus ſe præſentem ipſis pecuniam pro illis numeraturum. Sequenti autem die Æthiopes aliquot in naues vi ſumma irruentes, imperare *Sangiacco* dicebant, vt quincuncem pro ſingulis mercibus vectigalis nomine perſoluerent. Erat hoc iniquum poſtulatum, nam pro integra naui, quicquid etiam mercium in ea ſit, præter octodecim *Saie* alias non numerant, itaq; commotus tandem precibus & interceſſione quorundam mercatorum Turcicorum, de propoſito ſuo remiſit, pro pannis tamen nihil perſoluit, itaq; vt damnum maius vitarent, iacturam iſtam diſſimulantes, cum præſertim inter peregrinos agerent, neminemq; à ſuis partibus ibi haberent, progrediebantur, pernoctantes veſperi in *Elamora* pago ad dextrum fluminis latus ſito, ſequenti veſpera ad *Aman* appulerunt, inde ſequēti ad *Avagia Abulena*, & iterum ſequenti ad *Caſabi*, qui pagus in dextro fluminis latere ſitus eſt.

Elamora. *Aman.* *Avagia Abulena.* *Caſabi.*

Sequenti die, qui primus Februarii erat, poſtquam horas tres nauigando conſumpſiſſent, aperiebat ſeſe ipſis caſtellum quoddam deſolatum cum ciuitate *Celebi*, quæ in dextra fluminis ripa raris habitatur incolis. E regione ab altera parte fluminis cernebatur caſtellum itidem deſolatum alterū, quod *Zelebe* vocant. Paulo autem ante veſperam nauigandum ipſis erat ſubter montem altiſſimum, cuius extremitas adeo ſupra fluuium propendebat, vt iamiam corruere videretur, & ſine horrore maximoq; metu aſpici non poſſet. Erant ibi in maximo metu: nam non ſolum rupes & ſcopuli ruinam minabantur, ſed & multa in flumine ſaxa deprehendebantur, à quibus damnum cōtrahere naues facile potuiſſent. Itaq; cū nox iamiam immineret, cernerēturq; in ſiniſtra fluminis ripa latrones paſſim plurimi, mōte illo vix ſuperato, pernoctare in dextro latere ſtatuebant, vbi monti huic nomen *Elteroſtrovil* eſſe cognouerunt.

Celebi. *Zelebe.* *Elteroſtrovil.*

Secundo Februar. venerūt circa meridiē ad locum admodū lapidoſum, quē *Diſmontate* vocant: tanta n. copia, qui à monte decidere ſolent, ſubinde lapides ibi confluxerant, vt vel ad 20. cubitus aſcendiſſe aquæ viderentur. Fuſis igitur ad Deum precibus, cum aliter non poſſent, progrediendum tandem cenſebant, vbi diuina tamen gratia, & nautarum prudentia factum eſt, vt periculum euaderent. Sub veſperam autem in latere fluminis dextro ad ciuitatem *Elder* appulerunt, quæ olim quidem portus Catenæ dicta fuit, nunc autem à *Sangiacco* Turcico & *Cadi* quodam poſſidetur, multisq; honeſtis viris vxores pulcherrimas habentibus habitatur. Moris ibi eſt, *Sangiacco* & præcipuis eius miniſtris munera offerre. Itaq; cum hac de re mercatores edocerentur, exhibebant ei eadem adhuc veſpera tres panes ſaccharo confectos cū duodecim fruſtulis & 20. orbiculis præſtantiſſimi ſmegmatis, miniſtro autem eius donabant vuarum paſſarum manipulum cum duodecim fruſtulis ſmegmatis, ſimiliter & *Cacag.* ex ſingulis nauibus duo ſmegmatis fruſta accipiebat. Conciliabāt autem ſibi hiſce munerib. tantum fauorem, vt ſummam beneuolentiam poſtmodum hoc in loco experirentur.

Diſmontate. *Elder ciuitas.*

Ciuitas hæc veteribus *Porto Catena* dicta eſt, idq; vti omnibus videbatur tantum propter impedimenta ſaxorum, quibus curſus & fluxus aquæ certis in locis inhibetur, quę quidem impedimenta miram vetuſtatem referūt, & cum affixos ſibi repræſentent clauos ferreos fluxui aquarum obiectos, ad quos alliſæ naues naufragium euitare non poſſunt, hoſtibus à ciuitate arcēdis olim deſtinata fuiſſe credibile eſt. Cæterum cum vectigal 6. Venetorū, & duorum *Maedini* pro ſingulis nauibus ſoluiſſent, quod quidem naues omnes quibuſcunque mercibus oneratæ pendere ibi coguntur, quinto Februa-

Ciuitas Elder cur olim Porto Catena dicta.

Februarii, inter media illa ſaxorum impedimenta curſum ſuum tenentes, iterum progreſſi ſunt tanta anguſtia, vt vix tranſire ſine detrimento poſſent. Sub veſperam appellentes in latere ſiniſtro ad pagum *Muachiſir*, pernoctandum ibi cenſebant. Poſtero die iterum progreſſi, cum horas quatuor nauigando conſumpſiſſent, cernebant ad ſiniſtram fluminis ripam, veterem ciuitatem *Elpiſara*, & poſt horam vnicam *Cabur* fluuium ingrediebantur, qui ex *Merdin* oritur, & cum Euphrate ſe coniungit, aquam habens alterius ab Euphrate coloris, nempe rubram, ſalutarem tamen & grati ſaporis. *Muachiſir.* *Elpiſara.*

Hora ab exorto ſole ſeptima cernebant ad dextram caſtellum *Rahabi*, quod à *Sangiacco* Elderenſi tenetur, & iuxta illud veterem quandam & ruinoſam vrbem, quæ incolas paucos & variè diſperſos, qui *Rahabilatici* vocantur, habet. Hoc in loco horam vnam atque alteram ſubſiſtentes, nauem alteram, ferro præter alias merces nimis grauatam, aliquo modo leuarunt; veſperi autem ad *Zoxoſuldan*. in ſiniſtro fluminis latere appulerunt. Poſtero die cum horas tres nauigando traduxiſſent, videbant in dextro latere ciuitatem *Siara*, cumque eius Præfecto Turcico nempe *Sangiacco*, munera debita, nempe patinam vuis paſſis plenam, quinq; particulas ſmegmatis, cum vaſculo vini, miniſtro vero eius tres ſmegmatis particulas obtuliſſent, & vectigal nempe duo *Saie* pro qualibet naui ſoluiſſent, progreſſi, *Gorur* caſtellum eodem adhuc die appræhenderunt. *Rahabi.* *Zoxoſuldan.* *Siara.* *Gorur.*

Octauo Februarii circiter horam nonam ſub rupe montis *Carteron*, ipſis tranſeundum erat, qui ab vndis ita excauatus erat, vt omnibus horrorem & timorem incuteret, idque eo magis, quod fiſſuras variis in locis accepiſſe montem illum viderent, quibus ruinam ſingulis momẽtis minaretur. Cum autem curſus fluminis ibi celerrimus eſſet, vnicus horæ quadrans metu iſto eos liberauit, quo facto, deſolatam iam plane vrbem *Romi* viderunt, & ſub veſperam ad *Heldegi* in dextro fluminis latere appulerunt. Sequenti veſpera ad caſtellum *Sora* delati in naui pernoctarunt. Non procul ab hoc caſtello ſita eſt deſolata quædam vrbs à nemine habitata. Fuit autem ea, vt ex multis indiciis colligi facile poterat, tantæ magnitudinis, vt vel *Alcairum* Ægypti ſuperarit; dicebant enim nautæ, ſe à maioribus ſuis accepiſſe, ciuitatem hanc 366. portas habuiſſe. Nominatur hodie *Elerſi*, & ita deſolata eſt, vt præter murorum & turrium aliquot rudera nihil ibi conſpiciatur amplius, cum olim inſigne emporium extiterit, & multis celeberrimis ditiſſimisque ciuibus habitata fuerit. Poſt meridiem cum ad miliaria octo, relicta poſt ſe *Elerſi*, progreſſi eſſent, cernebant aliam quandam deſolatam *Anga* nomine. Quæ licet non vſque adeo magna fuiſſe putaretur, multa tamen molendina habuiſſe, indicio erat, quod decem plus minus ab ipſis etiamnum numerarentur, vnde coniicere licebat, Euphratis fluuium ab eo tempore, quo ciuitas iſta hominibus inhabitata fuit, varie mutatum, & multis modis auctum fuiſſe. Sub veſperam cum turrim quandam ciuitatis *Caime* vidiſſent, delati ſunt ad artificioſum quoddam opus, quod tribus rotulis aquam ex Euphrate hauſtam, per canalem ad agros humectandos propellebat. Pernoctabant autem, cum vlterius progredi non poſſent, in *Sema*, magnum ea nocte frigus ſentientes. *Carteron mons.* *Romi.* *Heldegi.* *Sora.* *Elerſi ciuitas deſolata.* *Anga.* *Caime.* *Sema.*

Sequenti die, qui erat 11. Februarii, tranſeundum ipſis erat per anguſtias admodum periculoſas, prolapſa enim erant ab vtraq; fluminis parte aliquot ædificia, inter quę magna cum difficultate nauigandũ, cum aũt periculũ illud ſuperaſſẽt, offerebat ſeſe ipſorũ oculis domus magnifica *Capilchelbi*, & 4.

horis

horis poſt, alia, *Aravedi Fochelcurmi* dicta, iuxta quas duæ etiam anguſtiæ reperiuntur non minus quam priores periculoſæ. Circa meridiem aſſequebantur caſtellum *Edir*, quod in colle elegantiſſimo ad ſiniſtram fluminis extructũ cernitur. Appellebant autem in *Rechtalmel*, expectaturi donec procellæ & venti magna vehementia furentes aliquo modo remitterent, quod vbi factum eſſet, ſeruato inter duo molendina curſu, veſperi ad *Zaffara* pertigerunt.

Edir. *Rechtalmel.* *Zaffara.*

Duodecimo Februarii per multas anguſtias non ſine periculo & difficultate maxima ipſis nauigandum erat. Horam autem circiter duodecimã ad ſepulchrum cuiuſdam, quem Orientales populi in Sanctorum numero habent, delati, ſubſiſtere cogebantur, donec nautæ panes aliquot nauticos biſcoctos in ſepulchrum abieciſſent, dicebant enim naufragium ibi multos ſubito feciſſe, qui de bonis ſuis ſepulchro iſti nihil obtuliſſent. Progreſſi poſtmodum in oppido *Elmeſetana* pernoctarunt. Sequenti die in locum omnium periculoſiſſimum inciderunt, eo autem multo labore ſuperato, videbant domos, turres & hortos, nec non ſplendida quædam ædificia ad radices montis cuiuſdam extructa, qui ab altera parte in fluuium excurrens elegantem Inſulam faciebat, malorum aureorum feracem, quam ipſi prænauigantes ad dextram relinquebant, progreſſi autem paulo amplius, turres, hortos & ædificia alia, inſulamque priori non diſſimilem, niſi quod paulo maior & ſatis craſſo muro circumdata eſſet, in quo incolæ interdum ſedentes conſpiciuntur. Præter haſce duas Inſulas habentur etiam ſyluæ ibi & multæ malorum aureorum, citrinorum & aliorum fructuum arbores. Cumque non procul ab inuicem Inſulæ hæ duæ diſtent, multæ nauigantibus anguſtiæ non ſine multo periculo ſuperandæ ſunt. In ſiniſtro fluminis latere poſt exſuperatas anguſtias illas occurrit caſtellum *Anna*, octodecim ferè molendinis conſpicuum, in quibus latrones ſeſe quamplurimi continent. Sic igitur in itinere ab *Albir* ciuitate, vbi Euphrati ſeſe committere mercatores ſolent, ad hoc vſque caſtellum *Anna*, dies 40. conſumpſerunt inter multa & varia nõ ſolum naufragiorum, ſed & latronum pericula: nam ab Arabibus quidem nunquam tuti erant, qui licet neminem interficiant, bonis tamen obuios quoſque ſpoliant, & poſtmodum in pedes ſeſe coniiciunt. Oportet igitur iter hoc ingreſſuros ſclopetis bene inſtructos eſſe: nam nulla magis arma quã ſclopos reformidant, nec facile appropinquant vbi ſonum & diſploſionem ſcloporum audiunt. Dominus ſiue Dux horum Arabum *Aboriſe* nominatur, vir ob annuos reditus, quos non ex telonio ſolum & vectigali, ſed & ex fructibus terræ, omnibusq; pecoribus habet, diues admodum & potens.

Elmeſetana. *Anna caſtellum.*

Cæterum loca illa, in quibus 40. hiſce diebus pernoctarunt, deſolata magna ex parte, ſyluis & montibus horrida, & à latronibus admodum periculoſa erant, exceptis *Albir, Racha, Elder, Beles, Rabi, Rabilatica, Siara, Elcuxi, Elmeſetana*, & hoc caſtello *Anna*. Hæc enim loca certos ſuos incolas habẽt. Et quidem caſtellum hoc *Anna* pertingit ad ciuitatem aliquam, quæ ab omni parte, excepta illa quæ caſtellum reſpicit, formam Inſulæ repræſentat, & *Diana* vocatur. In hac vrbe Arabum Dux *Aboriſe* ſedem ſuam habet, qui imperium Arabico *Sangiacco* tradidit, cui nomen eſt *Cerali*. Munera quæ *Aboriſe* à mercatoribus accepit, erant 10. fruſta ſmegmatis, *Cerali* vero offerebantur ſex particulæ cum manipulo vuarum paſſarum, & eius miniſtro ſiue ſatelliti duæ cum duobus paribus cultrorum germanicorum.

Diana.

Locus hic multis dactylis, oliuis & malis aureis abundans eſt, habitaturque multis Æthiopibus, Iudæis, Turcis & aliis, qui operam dant parandæ

aquæ

aquæ vitæ seu vino igni eliquato, cuius ibi maximus vsus est. Per totam autem vitam nihil magis student, quam vt modo hunc, modo alium artificiosè circumueniendo decipiant, & bonis exuant, vnde nemo facile præternauigare potest, qui nō ab illis defraudetur. Accidit hoc vni ex nauib. illis quę cæteras præuertens aliquanto citius portum assecuta fuerat, illa enim præter fas & æquum 60. Venetos soluere cogebatur, iamque aduentantes naues reliquas eodem modo excepissent, nisi illis *Cogia Solimannus* quidam & *Ottomannus Magrus* adfuissent: nam cū hi duo viri primarii & magnæ auctoritatis essent, omnibus in eorum gratiam honoris plurimum exhibebatur. Quamuis autem pœnæ nomine nihil accipere ab ipsis possent, cogebantur tamen munera offerre, duobus nempe *Bassis*, & Seniori ciuitatis, qui dicebatur *Cacagia*, cuilibet duos panes sacharo cōfectos, cum duodecim particulis, & quindecim orbiculis smegmatis. Hoc facto nihil inquirebant amplius præterquam ordinarium vectigal, nempe duo *Saie* pro singulis fasciculis, vel 18. *Maedini* si pannus esset.

Cæterum cum intelligerent ibi iter reliquum admodum periculosum esse, prospiciebant sibi de aliis nautis, soluentes ei qui ad clauum sederet 9. *Saie*, gregario vero ministro sex, cum frusto smegmatis & vuarum passarum manipulo. *Emin* vero qui ad telonium sedet, veniebat 14. Februarii die, vectigal suū allatum. Huic primo in patina vuas passas & nuces comedendas exhibebant, postea donabant ei quinq; smegmatis frustula, & tres vuarum passarum manipulos. Scriba autem *Eminis* istius mittebat eis dono duos pisces, quem ipsi remunerabant decem frustulis & aliquot orbiculis smegmatis. Tandem cum à *Cogia Solimanno* omnem ibi beneuolentiam experti fuissent, donabant ei 20. frustula & aliquot orbiculos smegmatis, cum pectine eburneo. Cumque ab eo admonerentur, vt quamprimum iter ingrederentur, aduentare enim quendā *Subassi*, qui pannos aliquot & alia petiturus esset, tribus ante vesperam horis iterum soluentes abierunt.

CAPVT III.

Continuatio itineris ab Anna *ad* Giuba *vsque.*

POSTQVAM igitur castellum *Annæ* reliquissent, perueniunt paulo post ad quatuor scopulos, vbi aqua tantis sese fluctibus exonerabat, vt quid facerent præ metu & timore nimio nescirent. Superato autem per gratiam Dei, remigum & ministrorum quos nuper conduxerant opera, hoc periculo, in tantas ab ædificiis & molendinis vtrique fluminis ripæ adiacentibus incidebant angustias, vt vix nauibus suis eas transire possent. Assequebantur autem vesperi Insulam *Anatelbes*, in qua cum rudera murorum cernerentur, ciuitatem olim fuisse à nautis intelligebant, quæ terræ motu perierat, quod quidem verisimile videbatur, cum etiamnum in sinistro latere turris conspiceretur, quam de castello, vbi qui de terræ motu reliquias superesse dicebant. Expectabant autem in hoc loco vnam ex nauibus, quæ ad castellum *Annæ* remanserat, quæ tamen vt reliquis iterum cōiuncta erat, progressi iterum reliquerunt post sese in latere sinistro syluam quandam palmarum hominibus habitatam. Erat autem propter molendina quædam fluuius ibi frequentibus saxis ab vtraque parte ita oppletus & coarctatus, vt vix transitum reperire nautæ possent, diligenti tamen eorum cura factū est tandem, vt duabus horis angustias & difficultates illas omnes superarent, postea inuenerunt in sinistro fluminis latere multa ædificia, quę *Anatelbes.*

vocantur *Beniaben*, & Insulam *Beggiam* multis amygdalis consitam, locus ve-
Cabini. ro ipse vocatur *Cabini*. Ab altera parte præter solitudines & montes pal-
mes quibusdam consitos, nihil cernitur. Post meridiem multa numera-
bant molendina, vnde colligere poterant, loca etiam à flumine remota ab
Sberie. hominibus habitari. Ad sinistram cernebant arcem *Sberie*, & paulo post a-
liam, cui nomen est *Zovia*. Relinquebant autem post se etiam paruam
Insulam *Zera*, multis lignis refertam, pagum item *Giera* multis molendi-
nis conspicuum. Item *Adlelie* pagum, & vndique habitatum castellum
Busobileiia, *Ederita* itē & *Germa*, quæ loca omnia ad sinistram sita sunt, donec
Benexi. tandem habitatum hominib. pagum *Benexi* assequerentur, vbi per noctem
illam requierunt.

Sequenti 16. Februarii die, iter iterum ingressi post horam vnam atque alteram ad duos pagos peruenerunt sibi inuicem ab vtraque fluminis ripa oppositos, quorum alteri in sinistro latere, *Simia*, alteri in dextro, *Dera* nomē est. Non multo post alius est multorum ædificiorum, *Gielma* dictus, itemq; in latere dextro alius nomine *Sia*, sex molendina habens. Cum vero tractus hic multis pagis & villis conspicuus sit, quorum nomina Lectori tædiosum nimis est cognoscere, præcipuorum tantum annotabimus nomina, qui ab vtraque fluminis ripa & littore visuntur. Itaq; ad sinistram occurrit primo *Dulel*, postmodo *Asop*, paulo post candidus mons *Begheri*, vna cum pago *Cicida*, villæq; sequentes, *Verixa*, *Gida*, *Dulab*, *Lulap*, inter quas sylua quædam palmarum ferax cernitur, cui nomen est *Setisia*. Peruenerunt autem paulo post
Dulebgidit. ad vicum *Dulebgidit*, relictis post sese duabus in latere dextto exiguis Insulis, lignarum feracibus, quæ cum non ita pridem extitissent, nullo adhuc nomine gaudebant. Cæterum progressi vlterius pertingebant in latere dextro ad vicum *Zibida*, inde ad *Vrasa*, ad *Amerie*, ad *Elbara*, & tandem ad *Fuochelbera*. Hoc superato in tantas incidebant iterum angustias, multis saxis constratas, vt vix transitum inuenire possent. Superatis vero hisce quoque an-
Albusabur. gustiis, aperiebat sese ipsis in latere dextro castellum *Albusabur*, postmodo pagus *Butfora*, *Giedida*, *Forusia*, itemq; duo montes albi, & molendinum vi aquarum ita à littore abreptum, vt quasi Insulam aqua vndiq; cinctam constituat. Sed & vicus *Segadid* cum multis aliis ædificiis, turribus, & murorum desolatorum ruderibus ibi cernere est.

Tandem ad ciuitatem *Aditi* delati sunt, quæ castello paulo maiori quā castellum *Anna* fuerat, conspicua, in Insula quadam sita est, quę in transitu ad dextram relinquitur. Non procul ab hoc loco in montis cacumine fa-
Aditi ciuitas. num *Sechaita* extructum est. In ciuitate autem *Aditi*, habitat quidam *Sangiacco* ab *Aborise* Arabum Duce eo missus. In opposita fluminis ripa, turris quædam & sepulturæ, quales ibi vsitatæ, cernuntur. Cæterum progressuri ab hac ciuitate per summas angustias inter mœnia ciuitatis & saxa quam plurima, ad munitionem sex molendinorum disposita, transire cogebantur, ita vt ne remos quidem adhibere possent. Cumq; Æthiopibus eius loci parum fidendum esset, absque vlla mora oblatis *Sangiacco* eius loci muneribus, nempe duobus *Saie*, sex particulis smegmatis & vuarum passarum manipulo, tribus ante vesperam horis abierunt. Videbant autem passim ab vtroq; latere multa ædificia, turres, hortos & syluas palmarum feraces, relictisq; ad sinistram duabus paruis Insulis, ad tertiam delati sunt multis ædificiis conspicuam, in qua *Cacagia* prædicti *Sangiacco* habitat. Transitus ibi similiter admodum angustus, & à fluctuum impetu satis periculosus est, eoque vix superato, in alium nihilo meliorem, propter molendinum saxis & lapidibus constructum inciderunt.

Postquam

Poſtquam igitur multas Inſulas prætervecti eſſent, ad locum quendam veſperi delati ſunt, qui *Zezirnaly* vocatur, multis hortis, ædificiis, turribus, & frutetis palmarum in dextro fluminis latere conſpicuum, vbi per noctem illam requierunt. Sequenti die cum horas circiter tres nauigando conſumpſiſſent, obtulit ſeſe oculis ipſorum locus, duabus turrib. & tribus ædificiis conſpicuus. Aberat autem non procul ſacellum quoddam, in quo primarium quendã ſuæ religionis Patronum ſepultum iacere nautæ dicebãt, qui ſimulatq; ad locũ illum veniſſent, orare cœperunt, preces ſuas donec oculis ipſorũ expoſitum ſacellũ illud eſſet finire nolẽtes. Cæterum cum multos lapides marmoreos, multa molẽdina, ædificia, ſyluas & fruteta palmarũ poſt tergũ remiſiſſent multaq; pericula ſuperaſſent, tandẽ ad oras ciuitatis *Giuba*, quæ in ſiniſtro latere ſita, & aquis vndiq; circumdata eſt, venerunt. Ciuitas hæc ab vtraque parte caſtello fortiſſimo munita, multis ædificiis conſpicua eſt, habetque ſolum fertile admodum & fœcundum. Vectigalis loco *Emin* de naui qualibet duo *Saie*, ſex particulas ſmegmatis, & vuarum paſſarum manipulum accipit. Incolis quidem parum audebant fidere, quod per inſidias mercib. ſuis inhiare eos deprehenderent, itaq; ſoluto ſtatim vectigali, itineri ſeſe iterum commiſerunt, videntes toto iſto tractu hortos malorum aureorum & dactylorum feraces quamplurimos. In ſiniſtro latere templum erat *Siechgiba* dictum, quod magna cum deuotione ab incolis frequentatur.

Zezirnaly.

Giuba ciuitas.

CAPVT IV.

Continuatio itineris à Giuba *vſque ad* Felugia.

NON poſſum hic intermittere, quin Lectorem commonefaciã, quod vtile admodum ſit & ad promouẽdum iter maximopere faciat, ſi munera quædam *Sangiacco* in *Giuba* eiusque *Emini* offerantur. Verum enim eſt hic illud Poetæ; Munera crede mihi placant homineſq; Deoſq;, facile enim ab eis impetratur & perficitur munerum interuentu, quod alioquin factu impoſſibile videtur. Poſtquam autẽ ſoluentes ab hac ciuitate paululum progreſſi fuiſſent, viderunt in ſiniſtro latere Inſulam, muro vndique concluſam, multiſq; arboribus frugiferis & aliis conſitam. Eſtq;, vt breuiter dicam, totus hic tractus rupibus, ædificiis & molendinis abundans. Duabus horis poſt, quam *Giuba* ſoluiſſent, in vadũ delati, ad ciuitatem *Nauſa* peruenerunt, quæ in Inſula quadam ad dextram fluminis ſita eſt iuxta montem quendam, ruinoſo templo conſpicuum. Totum hoc territorium, multis ædificiis, hortis, molendinis, albis montibus, ſyluis & dactylorum frutetis conſpicuum eſt. Superatis autem eo die plus quam quadraginta anguſtiis, appulerunt veſperi in *Giaregivola*, loco ſolitario. Cumq; ibi pernoctaſſent, ſequenti 18. die nauigationem ſuam continuantes, viderunt in tranſitu multa dactylorum fruteta, molendina, inſulas & pagos Ziriza, *Boſtamia*, *Beſina* & *Zizire*, quorum deſcriptionem breuitatis gratia hic omittimus.

Nauſa.

Giaregivola.

Circa meridiem aſſequebantur ciuitatem *Eit*, quæ ad dextrum fluminis ſita, multis latronibus Arabibus habitatur, qui *Zizaeri* dicuntur, & caſtellum non procul ab vrbe tenent. Cogebantur in hac vrbe tantum vectigalis, quantum in caſtello *Anna*, pendere, quod per *Eminem* quendam pro Baſſa Babyloniæ colligitur, tota enim ciuitas ad Arabum Ducem *Aboriſe* pertinet. Ne igitur mercatores à prædicto *Emine* circumuenirentur, offerebant ei primo in duabus patinis vuas paſſas & nuces, petentes vt illis veſceretur, quod ipſi quidem ita placuit, vt non modo nihil iniquum ab ipſis

Eit.

poſtmodo poſtularet, ſed & plus honoris quam vllibi factum eſſet, eis exhiberet, præſertim cum & *Sangiacco* & eius Scribæ munera cuilibet, nimirum patinam vuarum paſſarum & quinque orbiculos ſmegmatis, offerre eos videret. Progreſſi autem quarta ante veſperam hora, montem conſpexerunt eleganti templo conſpicuum, ſimiliter & fruteta dactylorum, molendina, colles & ædificia varia. Cumque veſpera facta eſſet, appulerunt ad Inſulam quandam vna ex nauibus, quæ mercatores quoſdam Turcicos, qui locum quendam ſpectatum in terram deſcenderant, expectabat poſt ſe relicta, quę paulo ante noctis medium ipſis ſe iterum coniunxit. Locus autem quem contemplatum mercatores iſti abierant ille eſt, ex quo bitumen profluit. Reperitur enim non procul ab *Eit* ciuitate lacus quidam, pice ſeu bitumine perpetuo ebulliens atque feruens, cuius vſus eſt in ædificiis nauibusq; extruendis. Incolæ enim ædes ſuas ex arborum ramis conſtructas multo bitumine ita oblinunt atque obducunt, vt parietes & muros piceos eas habere non immerito dicere poſſis, naues itidem ex ramis dactylorum parantur, & bitumine vndique obducuntur. Liberum autem & permiſſum cuilibet eſt capere de hoc bitumine ſiue pice quantum expetit, maxima enim copia ebullire quotidie cernitur. Inter feruendum autem ingentes bullæ exurgunt, quæ tumore nimio poſtmodum diſruptæ campum vndique bitumine ſiue pice deformant. Nec verentur incolæ affirmare, tanta picem illam copia efferuere & in terram profundi, vt, niſi Euphratis inundationibus illa eleuata ſubinde abduceretur, in ingentes montes iam dudum excreuiſſet. Ex lacu autem iſto piceo riuulus aliquis, quod mireris, reſultat aquæ dulcis & potabilis, quam incolæ eius loci ad potum adhibere poſſunt.

Lacus bitumine feruens.

Cæterum 19. Februarii relicta Inſula iſta, iter iterum ingreſſi ſunt, vt illuxit autem dies, conſpexerunt in dextro latere inſignem montem marmoreum, ſed & nauem ibi offenderunt, ex *Felugia* aduerſo flumine regreſſam, & *Eit* ciuitatem petentem: nam eo vſque in reditu nauibus illis peruenire adhuc poſſunt, quas anguſtiæ impoſterum non tranſmittunt, quod notandum quidem illis eſt, qui nauigia ſua in *Albir* ciuitate Babyloniam profecturi coemunt, vt nimirum ea vel in *Eit*, vel in *Felugia*, diuendant, nec reduci illa ſeſe poſſe ſperant, idque ob anguſtias & loca periculoſa alia, quæ in Euphrate, vt hactenus oſtenſum, ſatis multa occurrunt. Quam autem nauem 25. Ducatis Hungaricis in *Albir* quis emit, eam in *Felugia* vel *Eit*, maioris vendere non poteſt, quam quatuor vel ad ſummum quinque Ducatis. Porro cum progrederentur paulo amplius, in ſaxa & ſolitudines inciderunt, præter montes & ſyluas nihil videntes. Erant autem in cacumine montis alicuius admodum excelſi duo ſacella, quæ *Maleben* vocabant. In flumine ipſo multas minores Inſulas, & inter eas aliquam paulo reliquis maiorem cernebant, quæ ab aqua in duas partes diuiſa *Elchaligi* vocatur.

In Euphrate aduerſo flumine nauigari non poteſt.

Elchaligi.

Non procul ab hac Inſula collis eſt, & in eo turris quædam deſolata, vbi ad tres fere horas hærere cogebātur, propter ventum ipſis admodum contrarium, qui vt ceſſauit, placato iterum flumine nauigationem continuarunt, ad ædificia quædam deſolata delati, de quibus præter delineamenta & veſtigia nihil fere reliquum erat, quæ tamen indicio ſatis magno eſſe poterant, quod à primariis olim hominibus habitata fuiſſent. Tractus hic vocatur *Avoſi*, multis arboribus ſylueſtribus, & inde conſequenter, multis etiam ceruis, apris, vrſis & feris aliis abundans. Cum autem vna ex nauibus præceſſiſſet, vt ad littus appellens pernoctare commodius ibi poſſet, contendebant reliquæ remis omnibus illam ſequi; cum vero non ſatis cautè agerent, accidit vt in arenam delati totam illam noctem ibi hærere, & metu

graſſan-

granſſantium magno numero latronum Arabum in armis ſtare, ſclopisque inſtructi vigilare cogerentur. Cæterum cum deſiderata lux ſequentis diei iterum appareret, promotis magno labore nauibus, poſt horam vnam atque alteram, ad vicum quendam in ſiniſtro latere deferebantur, qui totus ex ramis arborum & peculiari quodam luto, quod *Caraguol* vocant, excitatus erat, incolas trium linguarum, Æthiopicæ, Turcicæ, & Aghamicæ ſiue Perſicæ peritos habens. Noua hi homines agros ſuos rigandi ratione vtuntur: vtres enim ex pellibus caprarum vel aliarum ferarum (quarum magna ibi copia eſt, imprimis vero leonum, qui agricolis tam moleſti ſunt, vt ne exire quidem ſine armis audeant) paratos molendinorum rotis alligant, quas boues poſtmodo circumagunt, vt hauſta ex Euphrate aqua, per canales in agros late propellatur. *Noua ratio rigandi agros.*

Cum autem hunc locum ad ſiniſtram poſt ſe reliquiſſent, multa paſſim conſpiciebant ædificia ita diſpoſita, vt pagum conſtituerent, qui *Cozzur* nominatur. In dextro latere fluminis ſacellum cernitur cum campana, cui *Miſiat* nomen eſt, & habetur locus hic initium ſiue ingreſſus in Eremum. Pernoctabant autem tum in finibus *Caraguoli*, cuius tractus tantæ longitudinis eſt, vt integro die ſuperari nauigando nō poſſit. Incolæ huius loci nec Turcæ ſunt, nec Æthiopes, nec Perſæ, ſed à vicinis pro eiuſmodi habentur hominibus, qui ſine legibus viuant. Sequenti 21. Februarii die continuata iterum nauigatione, poſt exortum Solem, riuum quendam conſpexerunt, qui ex Babylonia profluens hoc in loco Euphrati miſcetur, & vix cymbas minores admittit. Non multo poſt videbant etiam ſyluas, in quibus Babylonii ligna ſua cædere ſolent. Quamuis autem parum ceſſarent, non poterant tamen ante meridiem de *Felugia* ciuitate quicquam videre, donec poſt meridiem ea ſeſe ipſis conſpiciendam daret, ad quam quidem tertia ante veſperam hora ſalui & incolumes omnes appulerunt, Euphrate, qui gruib. aliisq; volatilibus cœli nunquam deſtituitur, tandem relicto. Aſſerunt Æthiopici populi riuum quēdam ex Euphrate non procul à *Balſara* in Tigrim alium item in Golfum ſiue ſinum Perſicum ſeſe exonerare, cuius beneficio ad *Ormy* vſque perueniri poſſit. Piſcium quos Euphrates ſuppeditat, optimi ſunt, qui *Frati* ipſis dicuntur, ſunt enim nō ſolum boni ſaporis, ſed etiam præ aliis ſalutares, & capiuntur tanta copia, vt exteris etiam nationibus cibum præbeant. Populorum iuxta fluuium hunc habitantium aliqui *Gurgi* vocantur, Mahometho addicti; alii Arabes ſunt, ex rapto viuentes; alii denique Turcomanni, qui à rapinis abhorrent & iurati Arabum hoſtes ſunt. Cum igitur ad *Felugia* ciuitatem veniſſent, ſoluerunt pro ſingulis nauibus quatuor *Saie* & tres *Maedini*, alligatasque ad palum naues exonerare paulatim incipiebant. *Initium ſolitudinis.* *Felugia.*

CAPVT V.

De oppido Felugia, *& reliquo verſus Babyloniam itinere.*

OPPIDVM *Felugia* ſeſqui dierum itinere à Babylonia diſtat, quod quidem à peregrinis mercatoribus admodum frequentatur. Quicunque enim Alepo Babyloniam proficiſcuntur, naues in hoc oppido exonerant, & bona ſua camelis imponunt, Babylonia vero reuerſi naues hic conſcendere & Euphrati ſe committere coguntur. Incolæ huius loci nauium loco ratibus vtuntur, lignis enim aliquot oblongis colligatis, & aſſeribus ſtratis, merces imponunt, hinc inde eas deferentes. *Felugia.*

Mercatores ea veſpera, qua aduenerant, naues exonerare non poterant,

continebant igitur merces suas in nauibus, donec sub vesperam sequentis diei 23. cameli aduenirent, quorum opera merces inde abduxerunt. Non proficiscebantur autem omnes simul, sed postquam cum magistro *Carauanarum* conuenissent, vt pro singulis camelis 7. *Saie* soluerēt, cum alias, si magna eorum frequētia adfuisset, 30. *Maedinis* singulos habere potuissent, noctis beneficio clam sese inde subduxerūt, iter suum Babyloniam versus dirigentes. Relinquebant autem vnum ex sociis suis in *Felugia*, qui merciū, quæ adhuc ibi supererant, curam ageret, donec ipsi camelos remitterēt, qui delatus ad Præfectum oppidi, cogebatur, antequam camelos mercibus oneraret, *Gianitscherum* cuiusdam *Chiaus* & *Emin* eius loci pecunia & muneribus aliis placare, & cum magna *Caravana* inde discedere.

Vigesimo quarto Februarii quamprimum sol exoriretur, iter fecerunt per pontem fluuii alicuius, qui ex Euphrate promanans Tigri non vsque adeo dissimilis est. Circa meridiem peruenerunt ad oras desolatæ vrbis cu-
Sendia. iusdam, quæ *Sendia* nominatur, & hora dimidia post ad principium veteris Babyloniæ, quod principium hodie *Facheria* dicitur. Progressos autem ea-
Nareisa. dem via excepit *Nareisa* vesperi, qui locus medio inter Babyloniam & *Felugiam* itinere, à latronibus & leonibus admodum infestus est. Cogebātur autem nihilominus ibi pernoctare. Cumq; dies iterum illuxisset, itineri sese accingentes, iuxta veterem Babyloniam progressi sunt, ita vt ad sinistram ea relinqueretur. Conspiciebant autem nō pauca muri admodum crassi rudera, cum vestigiis ingentis veteris ciuitatis turris, in loco qui *Carcufrate nemeru* vocatur.

Cum venirent ad *Mascadon*, apparebant ipsis pinnæ templorum nouæ ciuitatis Babyloniæ. Cumq; plus quā integri diei itinere in latere veteris ci-
Durelcus. uitatis progressi essent, cuius quidē finis siue terminus *Dureicus* nominatur, conspexerunt etiam templum eius ciuitatis maximum & incredibilis altitudinis. Et sane fateri omnes, quotquot hoc opus intuentur, necesse habēt, hanc tam præstantem & ad perpetuitatem olim excitatam vrbem singulari fato & vltione diuina, ꝑpter multiplicia peccata & nefaria scelera ab hominibus in ea perpetrata, desolatam periisse. Est enim illustre speculum iræ diuinæ aduersus peccata, cum & terra omnis inter *Felugiam* & *Babyloniam*, quantumuis bona admodum & pinguis, nec arbores nec herbas vllas producat, sed tota sterilis & desolata sit, nec quicquam præter fungos gignat, boni tamen saporis, ita vt etiam crudis illis Æthiopes vescantur. Non procul ab hac veteri ciuitate conspiciuntur adhuc rudera castelli cuiusdam, q; *Calagtamus* vocant, estq; quinque sacellis conspicuum, quorum tria iuxta viam, qua mercatores hi proficiscebantur, duo vero ab altera parte sita sunt. Hora prima post meridiem peruenerunt ad *Rachiche* in littore Tigris fluuii nouæ Babyloni opposito, vnde in ciuitatē per pontem ligneum, 37. nauigiis, quæ catenis ferreis colligata sunt, impositum, iter patet. Manebant autem
Rachiche. mercatores hi in *Rachiche* donec merces suas in ordinē iterum disposuissét. Vt igitur omnia hactenus dicta, breuiter repetātur, sciendū est, mercatores hos ex Alepo ad *Albir* ciuitatem, equis trium dierum itinere vectos esse, vbi *Caravanam* conduxerunt vsque ad Euphratem fluuium. In itinere autem ab *Albir* vsque ad nouam Babyloniam 49. dies consumpserunt, propter temporis iniuriam, æstiuo enim tempore longè citius & commodius illud absolui potuisset.

CAPVT

Capvt VI.

De sumptibus ad iter Alepo Babyloniam versus necessariis.

Alepo versus *Albir* profecturi, pro clitellis singulis camelo impneondis soluere coguntur 60. *Maedinos*. Est autem *Maedino*, moneta quędam quatuor solidos Venetos valens, qui totidem cruciatos apud nos efficiunt. Pro clitellis singulis mulo imponendis soluuntur 45. *Maedini*.

Pro clitellis singulis in *Albir* soluuntur vectigalis nomine 10. *Maedini*. Muneris loco *Emini* præstantur 400. *Maedini*, & pro auertenda iniuria, quæ peregrinis alias infertur 200. *Maedini*.

In quatuor patinas vuarū passarum, & 20. frustula smegmatis, sumptus fiunt 35. *Maedinorum*.

Pro naui, quæ 30. plus minus clitellarum onera capiat, soluuntur 60. Ducati, siue 2400. *Maedini*.

Pro commeatu & cibariis omnis generis 200. *Maedini* requiruntur.

Vectigalis nomine in *Racha*, pro clitellis singulis soluēdæ sunt 5. *Maedini*.

Tres patinæ vuarum passarum, & 25. frusta smegmatis, constant 25. *Maedinis*.

Aborise in *Raii*, vectigalis nomine 20. Ducati, siue 800. *Maedini* soluūtur.

Vectigalis nomine in *Der* soluuntur 5. Ducati, seu 230. *Maedini*.

Quatuor patinæ vuarum passa rum & 20. segmenta smegmatis, valent 35. *Maedinis*.

Pro vectigale in *Ossara* requiruntur 10. *Maedini*.

Pro duabus patinis vuarum passarum, & 10. segmentis smegmatis, 17. *Maedini*.

Vectigalis in castello *Anna* nomine, pro singulis clitellis soluuntur 10. *Maedini*.

Quatuor patinæ vuarum passarum, & 20. segmenta smegmatis, 35. *Maedinis* valent.

Vectigalis nomine in *Adite* pro singulis nauib. 10. *Maedini* soluuntur.

Duæ patinæ vuarum pass. & 10. segmenta smegmatis, constant 17. *Maed.*

Vectigalis nomine in *Giub*, pro singulis nauib. soluuntur 10. *Maedini*.

Pro 2. patinis vuarū pass. & 10. segmnetis smegmatis, 17. *Maed.* soluuntur.

Vectigalis nomine in *Eit*, pro clitellis singulis numerantur 10. *Maedini*.

Pro 4. patinis vuarū passarum, & 20. segmentis smegmatis 35. *Maedini*.

Sūptus qui in munera fiunt, vbi ad *Felugiā* perueneris, sunt 30. *Maedini*.

Pro clitellis singulis, camelis merces ex *Felugia* Babyloniam transferentibus imponendis, soluuntur 30. *Maedini*.

Et hi quidem sumptus sunt, quos mercatores Alepo Babyloniam proficiscentes in itinere necessario expendere coguntur. Quid autem in victum quilibet insumere voluerit, meum hic nō est annotare, cum metiri se quemque suo modulo ac pede oporteat.

Capvt VIII.

De noua Babylonia.

Babylonia noua, quæ hodie à Turcis *Bagiodet* nominatur, insigni sua amœnitate, vel cum Damasco certare posse videtur, hortos enim habet delicatissimos & arborum præstantissimarum copia pulcherrimas. Turres & pinnæ templorum tam eleganti aduentantium oculos fulgore perstringunt, ac si ex Iaspide aerizusa omnes constarent. Ciuitas ipsa populosa quidem est, sed non vsque adeo magnæ

magnæ capacitatis, nec multorum admodum ædificiorum. Quia autem portus eſt præcipuus, & tranſitus in Arabiam, Perſiam & alia loca, multis quotidie mercatoribus exteris frequentatur, qui multas ibi negotiationes exercent, id quod ex *Carauanis* magna quotidie copia ibi tranſeuntibus colligere difficile non eſt. Ex Armenia transfertur eo, quicquid ad victum & ſuſtentationem pertinet, idque Tigris beneficio, quo fluuio ad ipſa vrbis mœnia perueniri poteſt. Nauium autem loco Armeni ratibus vtuntur, colligata enim ligna aliquot oblonga, caprinis pellibus aere completis ſiue inflatis imponunt, aſſeribusq; conſternunt, vt continendis mercibus idonea fiant. Vt ad vrbem autem cum eiuſmodi ratibus ventum eſt, aſſeres quidem & ligna omnia diuenduntur, vtres vero ſiue pelles caprinæ, aere euacuatæ, camelorum opera in Armeniam iterum reducuntur.

Sita eſt ciuitas in regno Perſico, ſed longo iam tempore à Turcis poſſeſſa. Trans fluuium, qua Arabiam reſpicit, capellam habet, quod *Rachiche* vocant, multis ædificiis & mercatorum tabernis ſiue officinis conſpicuum, in quo plerique peregrinorum mercatorum diuertuntur. Cum autem inde ciuitatem ingredi expetunt, ſi fluuius ex multiplici & frequenti pluuia, aliquo modo excreuerit, pontem aperire in medio coguntur, vt eius pars altera ad ciuitatis mœnia tum pertingat, altera vero in littore prædicti caſtelli recumbat, & tranſeundum tunc quidem nauigiis in ciuitatem eſt non ſine magno periculo, cum nauigia illa fluctuum impetu facile ſubuerſa vndis mergantur. In ſiniſtro ciuitatis latere caſtellum alterum extructum, & pro defendenda ciuitate, tormentis militibusq; multis munitum eſt. Tertium vero in ciuitatis medio, area late patenti perquam elegātiſſimum cernitur, & à *Baſſa* quodam ceu Gubernatore ciuitatis inhabitatur, qui ſatellitium multis militib. conſtans ſecum habet. Præterea multis thermis hæc ciuitas gaudet, ita vt vel ſexaginta in ea numerentur. Ipſa vero vrbs vetus admodum apparet, excepto caſtello ſeu arce, quam Gubernator pulcherrimam & ſplendidiſſimam inhabitat.

CAPVT VIII.

De turre Nimrodica prope Babyloniam.



TVRRIS Nimrodica plus quam octo leucis ſiue miliaribus Gallicis à Babylone diſtat, cis Tigrim, in loco plano & patenti Arabiam verſus ſita, nominatur ab Æthiopibus *Diſela*, plane autem deſolata eſt, & ruina ſua ingentes quaſi circumquaque montes excitauit. Fundamentum quidem adhuc integrum eſt, ſed lapidibus fere obrutum, qui quidem omnes initio ex argilla, admixta lini ſtupa parati & ſolis æſtu indurati coctiq; fuere, vt contra omnem externam vim ſubſiſterent. Maior apparet abſentibus longius, minor vero propius accedentibus, idque contra aliorum ædificiorum rationem, quæ accedentibus propius maiora ſemper redduntur. Ratio vero huius rei videtur eſſe, quod ſola in patenti admodum planicie conſtituta, præter murorum deſolatorum rudera, nihil ſibi coniunctum habet.

CAPVT

CAPVT IX.

De ponderibus, menſuris & numiſmatibus ciuitatis Babyloniæ.



T de ponderibus etiam, menſuris item & monetis in Babylone vſitatis aliquid dicamus, ſciendum eſt pondus Babylonicum, quod ipſi *Mano* vocant, idem eſſe cum eo, quod Alepi *Rotolo* dicunt, valetq; apud nos quincuncẽ ſiue quinq; vncias. Itaq; 68½. *Mano* & 100. *Rotolo* Alepicæ conſtituunt 720. libras Venetas minores, quarũ quælibet ſemuncias 24. continet. Centum *Mano* faciunt vnum *Cantaro* Babylonicum; centum & quadraginta ſex *Rotoli* Alopica; 1052. libras minores Venetas cum ſemunciis quatuor. Mercatores autem inter vendendum & emendum ſolo minori pondere, quod *Mano* vocant, vtuntur.

Menſuram Babylonii aliam non habent, quam quæ ipſis *Pichi* dicitur, quę tamẽ paulo maior eſt illa, qua Alepienſes vtuntur. Centum enim menſuræ Alepicæ tantum 82. Babylonicas conſtituunt.

Numiſmata *Saie* ſunt, quorum quodlibet quinque *Maedinos* facit, *Saie* vero & *Maedini* vno in loco cuduntur, faciuntque 40. *Maedini* ducatum vnum Sultanicum ſiue Turcicum; quadraginta vero ſeptem conſtituunt vnum *Zechinum* Venetum. Nummi argentei valent 33. *Maedinos*. Philippici vero Hiſpanorum valent, quantum in pondere habent, drachmæ nempe quælibet 100. *Maedinos*, nullum enim certum habent pretium, & cum mercatoribus de monetis ſermo eſt, plerumq; centum *Metecchali* nominantur, qui Alepi faciunt 150. drachmas. In domo autem monetaria, Babylonii monetas exoticas & peregrinas iuxta pondus centum drachmarum permutant, & quinque *Maedinos* de valore ſiue pretio detrahunt.

Quod ad vectigalia ipſorum attinet, de omnis generis mercibus ſemiſſem plerunque accipiunt, de coralliis vero & ambra quincuncem cum dimidio. At de pannis Anglicanis, linteaminibus pretioſis, pannis bombycinis, vndulatis, goſſypinis, holoſericis, ſcutulatis, Damaſcenis & aliis, quincuncem accipiunt, ſiue emantur ſiue vendãtur. Omnes autem merces maioris æſtimant, quam vulgo venduntur. *Toaſo, Boabo*, & Scribis ſex debentur pro ſingulis mercatorum faſciculis *Maedini*. Primus enim ex miniſtris illis, nempe *Toaſo*, faſciculos apertos ad publicanum trãsferri curat, vt merces recte perluſtrari poſſint, *Boabo* autem ad hoc conſtitutus eſt, vt telonium ſiue domum ſoluendis vectigalibus deſtinatam aperiat, claudat, purget & cuſtodiat. *Emini* vero, qui rei nummariæ præeſt, 30. *Saie* muneris loco offerendi ſunt, niſi quis malit, vt nauem poſtmodo ingreſſus, colligatos mercium faſciculos, amiſiſſe ſe pecuniam aliquam querens, aperiat, & omnia variè diſiiciat atque confundat.

CAPVT X.

De itinere quod ex Babylonia Balſaram *ducit.*



ERCATORES noſtri cum aliquot diebus Babyloniæ fuiſſent, & omnia non ſolum vectigalia, ſed & munera miniſtris exhiberi ſolita perſoluiſſent, cœperunt 13. Martii, Anno 1580. merces ſuas in nauem duplicatam transportare, tales enim omnes naues ſunt, quibus *Balſaram* itur, nominanturq; hanc ob cauſam duplicatæ, quod ab interiori parte aſſeribus vndique ſint obductæ, vt fluctibus reſiſtere *Nauium Babylonicarũ deſcriptio.*

resistere eo melius possint. Et quidem notandum hic est Babylonios nulla habere ligna, ex quibus naues suas conficiant, sed asseribus vti illarum nauium, quæ ex *Albir* aduentantes ad *Felugiam*, dissoluuntur. Proram autem admodum eleuatam, puppim vero depressam faciunt, clauus enim ex esseribus palmarum multis funiculis tam artificiose colligatus & contextus est, vt quatuor digitorum spacio ab inuicem distantes asseres, aquam vndiq; transmittant. Transtra quibus remiges insideant, in naui nulla sunt, sed extra nauem lateribus adhærent, quotiescunque autem remos ducunt vmbilicotenus in altum assurgentes ab aqua eleuantur. Vtuntur alioqui etiam alio genere nauium, quę instar lintris siue aqualiculi alicuius oblongæ & graciles sunt, habentq; clauum vt reliquæ, sed & carbasa adhibent, quæ superiori sui parte ad trabem siue malum in prora alligata, vtrinq; integro passu extra naues prominere videntur. Remi palis siue infurnibulis & batillis nostris non absimiles sunt, segmenta enim asserum ab vna parte hastilibus alligantur, quę, quemadmodum & malus cui carbasa adhærent, varie incuruata & inflexa cernuntur.

Postquam igitur mercibus suis nauem onerassent, nocte ea, quæ inter 13. & 14. Martii intercedit, soluentes, cursum suum versus *Balsaram* in fluuio Tigri direxerunt. Venerunt autem cum sol proximo die oriretur, ad desolatam vrbem *Giouanchesera*. Cumque fluuius hic Nilo non admodum dissimilis, pulcherrimus & placidissimus sit, nullis lapidibus, saxis, lignorumve remoris, vt Euphrates refertus, quæ nauigationem periculosam redderent, absque omni metu progredi poterant. Nihil autem toto die visum ipsis est, præterquam sacellum aliquod, & ab vtroque latere fruteta quædam palmarum, iuxta quæ apri pascentes ad fluuium subinde potum properabant. Cæterum cum desolatos duos pagos, quorum alter *Zidide*, alter *Chert* nominatur, post se reliquissent, tota nocte progressi nihil præter aliquot tentoria siue tuguria pastorum Arabum ad pecora sua excubantium viderunt, donec sequenti die, qui erat 16. Martii, in dextro latere pagum hominibus habitatum *Duleb* nomine, & non procul ab eo in medio flumine Insulam quandam minorem multis arboribus consitam, offenderent. Progressi igitur tertia noctis hora ad *Elmara* appulerunt, vbi vectigalis nomine tres ducatos Turcicos *Sangiacco* soluere cogebantur.

Giovanchesera.

Duleb.

Hoc in loco Tigris in duo diuiditur flumina, quorum alterum *Balsaram* versus labitur, alterum cum flumine *Settigivalez* coniunctum in Euphratem sese tandem exonerat. Quamuis autem angustior iam inde fluuius redditur, ipsi tamen iter suum continuantes, animaduertebant regionem istam in sinistro quidem latere populis, qui *Gurgi* vocantur, in dextro autem ab Arabib. habitari, qui vitam suã in tentoriis degunt & ædes prorsus ignorant. Arabes hi fluuio ex parte vtuntur: nam ad castellum *Gurigielauia* profecti, omnem solitudinem peruagantur.

Tigris in duo flumina diuiditur.

A meridie assequebantur locum *Gher*, vbi alius *Sangiacco* habitat, qui vectigalis nomine pro qualibet naui duos ducatos exigit. Regio hæc multis abundat leonibus, qui gregatim subinde potum venire ad fluuium solent, estque ibi fluuius quoad latitudinem non maior Medoaco qualis Patauii, vel Nicro, qualis Tubingæ visitur. Sed & latronum ibi Arabumq; magnus prouentus est, qui tantum ex rapto viuentes tot sagittas in præternauigantes aliquando eiaculari solent, vt ad littus applicare, & bona sua inter ipsos distribuere, vt mortis periculum euadant, cogantur. A bombardis autem & sclopis sibi admodum metuunt, & propterea displosionem bombardarum audientes naui appropinquare non audebant.

Regio leonibus abundans.

Sequenti

Sequenti 17. Martii die multos in agris paſtores videbant, qui pecora ſua paſcentes omnes in tentoriis habitant, ſub veſperam autem ad *Encaſerami* appulerunt, quo loco ſepultus quidam eſt, quem in Sanctorum numero Arabes habent. Cum igitur & nautarum aliqui, quos in naui ſecum habebant, Arabes eſſent, quamprimum locum illum aſſequerentur, dactylorum & panis bis cocti aliquid piſcibus deuorandum obiiciebant. *Encaſerami.*

Hactenus tam in Euphrate quam in Tigri, bono & ſalutari aere vſi fuerant, qui putredine hic infectus fœtorem naribus, qualis in ſinu ſeu Golfo Veneto exiſtit, obiiciebat, durabatq; fœtor iſte ab hoc loco vſque ad *Margheram*. Cum autem nox facta eſſet, & ipſi ſecuri vt antea pregrederentur, ventus ſubito exortus, abreptam magna vi nauem in æſtuarium admodum periculoſum proiecit, itaque in magno verſantes metu, ſocios, qui in reliquis quatuor nauibus erant, acclamabant, quorum ſi ſine opera & auxilio fuiſſent, in Arabum manus certo certius incidiſſent. Sequenti die, horam circiter tertiam poſt exortum ſolem ad pulcherrimum locum peruenerunt, qui *Caſale* vocatur, & à *Sangiacco* quodam habitatur. Hoc in loco labitur fluuius *Marozn*, qui ex finibus Perſiæ erumpens in Tigrim ſeſe hic exonerat, idque ingenti impetu, vt longe etiam ampliorem Tigrim faciat. E regione huius *Caſale*, ad dextram domus alia, *Corcab*, & non procul ab ea, tertia *Socher* dicta cernuntur. Quia autem fluuius hoc in loco maior fit, iam impoſterũ incrementa & decrementa ſua, maris inſtar habet, ſingulis enim ſex horis accreſcens, ſequentibus ſex horis decreſcit, idq; propter Golfum aquæ ſalſæ Perſicum, qui non procul inde abeſt. *Caſale.* *Æſtus in Tigri.*

Paulo amplius progreſſis aperiit ſeſe vicus *Elcharer* frequenti populo habitatus, & è regione eius alius quidam deſolatus, nomine *Calaetel*. Solent autem hoc in loco creſcentib. ex æſtu maris vndis nautæ appellere & naues in littore alligare, propterea quod conſurgentes aquæ vi & impetu, retroagantur, quantumuis remis eas promouere nautæ laborent. Agri ab vtraque parte flminis hominib. habitantur. Reperiuntur autem ibi equi, crines habentes virides & oculos flauos, ſimiliter & muſcæ albæ, quæ mercatorib. in naui admodum infeſtæ erant, cum veſparum inſtar lædant, & quaſi acu homines pungant. Cætrum cum propter affluxum aquæ vſque ad tertiam horam noctis ibi ſubſiſtere cogerentur, progreſſi poſtmodum circiter noctis medium ad ciuitatem *Corno* appulerunt. Habitat in ea *Sangiacco*, cui vectigalis nomine pro qualibet naui 25. *Saie*, & pro quolibet mercium faſciculo 2. *Saie*, ſoluendi ſunt, niſi pannos quis vehat; tum enim pro quolibet faſciculo 4. *Saie* numerantur. Perſeuerabant autem ibi ad ſequentem vſq; diem, qui 20. Martii erat, cumq; iterum progreſſi eſſent, riuulum quendam depræhenderunt ex Euphrate profluentem, qui cum Tigri hoc in loco miſcetur. Excitatum eſt ibi propugnaculum aliquod *Serſiſauzaca* nomine, præſidioq; militum pro compeſcendis & auertendis latronibus firmatum. *Elcharer.* *Corno.* *Serſiſauzaca.*

Paulo poſt tanta ſeſe latitudo fluminis aperuit, vt vix Nilo cederet, eratque ab vtraque parte pagis elegantiſſimis conſpicua. Ingens autem hoc loco ſolis æſtus interdum depræhenditur, quo vel homines etiam ſuffocantur & perimuntur. Accidit enim, vt quatuor ex mercatoribus in terram deſcedentes, ire aliquantiſper vellent, cumque laſſi & defatigati conſiderent vires recollecturi, à vento quodam calidiori ſubito obruerentur & ſuffocati perirent. Vnde ſacellum eo loco ædificandi incolæ occaſionem arripuerunt, quod hodiè *Manſorbene Sieb* vocatur.

Paululum progreſſi Inſulam *Ebenanmer* conſpexerunt frequenti populo habitatam, aliamque iuxta eam *Zezircatelatamo* nominatam. Po- *Ebenanmer.*

puli hi peculiari artificio capiendi pisces vtuntur, possuntque vitam suam commodè traducere, cum frumento abundent, eoque non vulgari, sed eiusmodi cuius grana vel nuces æquare magnitudine sua videantur, cuius rei rationem hanc esse quidam opinatur, quod tot agris abundent, vt illi, ex quibus frumentum iam collectum est, 20. plus minus menses quiescere possint, donec sementis in eis iterum fiat. Maximus hic oryzæ prouentus est. Cumq; mercatores ad vesperam vsque nauigassent, venerunt ad castellum *Manoi*, vbi vectigal de mancipiis siue coemptis siue captis persoluendũ est. Totam autem noctem nauigando traducentes, cum ab vtroque fluminis latere multos pagos & arces vidissent, proximo die, qui 21. Martii erat, salui & incolumes, ciuitatem *Balsara*, secunda post exortum solem hora assequebantur.

Capvt XI.

De ciuitate Balsara *vel* Basora.



Civitas *Balsara*, alias *Basora* dicta, in Arabia, Turcis hodie subiecta est, cum antea fuisset sub potestate Arabum, qui *Zizaeri* dicuntur, qui etiamnum hodie satis amplam regionem possident, & à Turcis superari non possunt, idque propter æstus & vicissitudines maris, quod accrescens Insulam quasi in regione ipsorum facit, decrescens autem eam omnino deserit, vt ita nec terra nec mari exercitus eo traduci queat. In ciuitate *Balsara* Sultanus firmissimum semper præsidium non sine magnis sumptibus sustentare cogitur. Ea vero ipsa 15. leucas à mare abest, negationes aromaticas exercet. Aromata enim ex *Ormus* eo magna copia transferuntur, cumque dactylis, oryza & frumento alio abundet, salutari tamen & potabili aqua destituitur, quam qui sitiunt, dimidii diei itinere aliunde afferre coguntur. Qui enim ex fluuio ciuitatem istam præterlabente bibunt, morbi statim aliquid contrahunt. Rustici enim & agricolæ agros suos fimo humano stercorare cõsueuerunt. Cum igitur ab inundationib. ad agros aquæ ascendit, de fimo isto tantum secum trahit & abducit, vt non solum ipsa corrumpatur, sed & aerem interdum inficiat, vnde pediculorum, pulicum, cimicum, muscarum & id genus aliorum insectorum, ingens apud eos prouentus.

Agri fimo humano stercorantur.

Vectigal quod hoc loco persoluendum semissis est, & accedunt multa alia incommoda atque grauamina, quibus *Emin* mercatores onerare solet, qui eousque impudentiæ progressus est, vt tantum muneris, quantum *Bassa* ipsemet accipiat. Etiamsi enim ipsemet *Cicalæ* Præfecti nimirum in *Messina* filius existat, effecit tamen vt pannis aliquot mercatores priuarentur, simulans initio se eos præsenti pecunia empturum. Iniquius equidem cum ipsis nullibi actum est: nam & maius sensissent incommodum, nisi quidam *Scander Aga* ad *Bassam* pertinens pro ipsis intercessisset, qui cum intellexisset ex *Bassa* suo, insidias mercatoribus paratas esse à piratis, qui *Nutecchi* vocantur, & non solum bonis peregrinantes spoliare, sed & vita priuare & naues eorum plane submergere solent, eos non solum de periculo hoc admonuit, sed consilium etiam dedit, ne iter suum maturarent, sed nuncium & tempus melius expectarent.

Non contemnendum hoc consilium rati mercatores, amicitiam contraxerunt cum mercatoribus aliquot, qui *Bagiani* vocantur, vt cum ad ciuitatem *Campagiam* pertinerent auctis aliquo modo viribus tutiores aduersus pi-

ratarum insultus essent. Populus hic admodum superstitiosus est, semel tantum in die comedit, nihil præter oryzam, panem & lac in cibum assumens, nullum quantumuis abiectissimum animal vita priuaret, ita vt etiam pediculis & pulicibus parcant, quos in chartam colligentes postmodum in patenti campo dimittunt. Quod si murem à puero quodam in *Balsara* compræhensum cernerent, certo eum precio redimentes dimittebant. Barbam non alunt, præterquam quæ superius labrum vestit, quamuis & hanc radere quidam soleant. Comam autem siue capillos capitis prolixos admodum habent, eosq; ad verticem conuolutos pileolis contegunt. Vestitu vtuntur oblongo candido, eumque in crucis formam in pectore disponunt. Lingua ipsis peculiaris est ab Indianorum idiomate parum discrepans. Colore sunt fusco. Mortui de mandato consanguineorum suorum igne comburuntur, cinerisq; pars in ignem coniicitur, pars vero in aerem dissipatur, & pars in aquam dimittitur, parte quarta in terram defossa, quod æquum censeant & rationi consentaneum, vt qui ex quatuor elementis cõstat homo, post mortem suam in eadem resoluatur, vt ita cuilibet elemento quod suum est restituatur. *Bagani populus superstitiosus.*

CAPVT XII.

De ponderibus, mensuris, & numismatibus ciuitatis Balsara.

QVOD ad pondera, mẽsuras & numismata huius ciuitatis attinet, *Mano* quidem vnũ, quinq; *Rotolo* Alepica, & apud nos sextantẽ cum vna tertia constituit. Nouendecim *Mano* faciunt *Cantaro* Alepicum, quod 100. *Rotolo* continet, apud Venetos vero 720. libras minores, 24. dipondiis siue semunciis constantes. Viginti *Mano* constituunt *Cantaro* in *Balsara*, quod Alepi 104. *Rotolo*, Venetiis vero 748. libras cum 18. semunciis facit. *Mano* autem in hac vrbe pondus præcipuũ est, quod ad omnes fere merces ponderandas adhibetur. Mensuræ in hac ciuitate *Pichi* vt in Babylonia vocantur, & cum illis per omnia conueniunt. *Mano.* *Cantaro.* *Pichi.*

Moneta vtuntur cuprea, vocaturque *Estinni*, quorum 12. vnum *Maedin*, quemadmodum & Alepi faciunt, apud Venetos vero valent 4. solidos, & apud nos Germanos tres fere cruciatos. *Maedin* vero moneta est argentea, similis ei quam *Sadin* in *Ormus* vocant, in vtraque facie signum aliquod Turcicum referens. Duo eiusmodi *Maedini* faciunt vnum *Damin*. Alepi totidem *Maedinos*, Venetiis 8. solidos, & apud nos Germanos 6. cruciatos. *Damin* vero itidem moneta argentea est, signum Turcicum in vtraque facie referens. Horum vnum cum dimidio faciunt vnum *Saie*, quemadmodum & Alepi, Venetiis vero 20. solidos, & apud nos Germanos 12. vel 13. cruciatos. *Saie* ciuitatis *Balsara* eiusdem sunt precii cum illis in Alepo. Ad vnum enim 20. *Estinni* siue 1. *Larino* numeratur, quæ in Alepo constituunt septem cum dimidio *Maedin*, Venetiis vero 26. solidos, & 8. *Bagatin*, duodecim vero *Bagatin* constituunt 1. solidum, sex vero solidi faciunt 4. cruciatos. *Larino* moneta est non rotunda aut quadrata, sed oblonga, calami scriptorii instar, cuius in longitudine octauam partem ęquat, in extremitatibus nonnihil incuruata, signum Turcicum referens. Duplex autem huius monetæ genus est, alterum quod in Turcia cum signo Turcico, & alterum quod in *Ormus* cum imagine & signo Regis istius ciuitatis cuditur. Qui primus hanc monetam cudere cœpit, erat Rex *Lar*, qui longo tempore in Persia latè imperauit, iam autem eo angustiarum redactus est, vt nihil ei reliquum sit, pręter exiguam regionem, quæ ad mare Persicum pertingit. Amicus est Regi in *Estinni.* *Maedin.* *Damin.* *Saie.* *Bagatin.* *Larino.*

Ormus, & propterea iuratus hostis Lusitanorum. Et hæc quidem moneta optima & præstantissima habetur, cuius per vniuersam Indiam vsus est. Sex autem *Larini* faciunt vnum Venetum, Alepi 40. *Maedinos* Venetiis 8. libras, & apud Germanos 28. plus minus bazenos. Venetus *Zechia* ex auro, siue ducatus Turcicus valet 7. *Larin*, & 1. *Damin*, quæ faciunt Alepi 48. *Maedinos*, & 4. *Flussos*. Venetiis 9. libras, & 14. solidos. Moneta Veneta venditur 100. *Matecallis* & 88. *Larinis*, quæ faciunt 150. drachmas Alepicas. Vbi notandum quod plerunque inter mercatores, centum *Matecallis* agatur, qui, vt dictum, faciunt 150. drachmas Alepicas. In vrbe autem *Voceua* continet vnũ *Zecca*, qualia quidem in castello reperiũtur, centum drachmas, & numerantur ad minimum quinq; *Maedini* pro centum drachmis, quales in regione ista frequentes sunt.

Vectigal quod hoc in loco tam de coemptis quam de venditis soluitur mercibus, semissis est. *Toafo* autem & *Boabo* de qualibet fasciculo mercatorio 6. *Maedini* debentur, quos exigunt à mercatoribus, quando bona sua siue merces ex telonio auehere incipiunt. Quod si *Emin* eius loci pluris æstimare merces, quam par est, velit, datur ei potestas retinendi tantum de mercibus, quantum 6. *Maedini* de centenis constituunt, id enim mandato & ordinationi Magistratus eius loci conuenit. Soluto autem vectigali solet *Emin* omnes merces probè contueri, & peculiari quodam signo signare, vt si forte in reditu alias afferri contingat, fraus omnis vitetur, cum præsertim Æthiopes admodum fraudulenti sint, & variis technis vtantur. Cum supra

Matecalli. monetæ illius mentio facta sit, quam *Matecalli* vocant, notandum est, quod eorum centum in *Balsara*, 18. semuncias Venetas in pondere habeant, & vti

Cantaro. dictum, 150. drachmas Alepicas faciant. *Cantaro* in Damasco & Tripoli continet 100. *Rotoli*, qui faciunt 618. libras Venetas minores, semunciarũ 24. *Cantaro* autem Alepicum continet 100. *Rotoli*, qui faciunt 720. libras Venetas minores. *Cantaro* in *Aman* continet 110. *Rotoli*, qui faciunt 740. libras Venetas minores. *Noli* ciuitatis *Balsara* cum nauigiis, quæ vocantur *Terradi* vsque ad *Ormus* contracta, persoluuntur habita ratione magnitudinis nauium. Quæ enim *Carra* decem capiunt, de illis 180. *Larin* persoluuntur, quæ 15. præstant 270. quæ 20. 360. quæ 30. 540. soluunt, & sic cõsequenter. Vbi

Carro. notandum ꝙ per vnũ *Carro* in *Balsara* intelligantur 4. *Cantara*. Domino *Terradi* siue nauis istius 1. *Cantaro*, reliquis autem nautis tria *Cantara* cedunt, vt ita totum naulum siue precium, quod pro vectura & traiectu soluitur, sint 4. *Cantara*, quæ vbi solueris, nihil à te expetere amplius possunt: nam de victu nautæ sibi ipsi prospicere coguntur. Quod si vero in ciuitate *Ormus* maiori quam vsitatum, onere naues suas onerasse intelligantur, nihil pro eo precii postulare possunt. Christiani enim in ciuitate, velut in sua patria versantur, & nautæ isti nihili æstimantur, quod quidem nisi obstaret sæpe maiore naues suas onerarent põdere, quã ferre possent, siquidem auaritia eorum tanta sit, vt etiam nauium propriarum rationem nullam habeant, vbi lucri aliquid inde percipere sese posse sciunt, quod quidem mercatores hi, cum damno & vitæ periculo ipsimet sunt experti. Necesse igitur est, vt quis sui ipsius rationem diligentem habeat, & in præsentia vel ipsius *Emin* vel alterius cuiusdam honesti viri, omnia peragat, quamuis bonorum & honestorum virorum mira apud ipsos paucitas, qui pessimi omnium, quotquot Arabia nutrit, habentur.

CAPVT

CAPVT XIII.

De nauigatione ex Balsara *ad Insulam* Ormus.



ANTEQVAM ab hoc loco discedam, notatu dignum aliquid commemorare libet, quod mirabile quidem & incredibile Lectori videbitur, verissimum autem est & certissimum. Curant mercatores, qui ex Babylonia *Balsaram* & hinc rursus in Babyloniã merces suas transuehunt, negotiationesq; suas hinc inde exercent, columbas sibi aliquot ex Babylonia afferri, idque in columbario aliquo obscuro, ne videant quo deferantur. Has vbi acceperint in loco itidem obscuro fouent, donec earum opera vti velint. Quando igitur precium aromatum in *Ormus* vel augetur & ascendit, vel minuitur & descendit, inscribunt hoc ipsum chartis easq; complicatas aliquot columbis alligant, iamq; ex ciuitate ad miliare vnum vel alterum prolatas, liberas dimittunt, tunc licet non omnes domum redeant, reperit tamẽ vna vel altera habitationem suam pristinam vnde ablata fuit, idque vnius diei spacio; quod vbi animaduertit dominus, eam compræhendit, literasq; inquirit, & statum ciuitatis *Balsara* cognoscit. Quæ quidem res magni momenti est, cum vnico die per literas alter alterum tãto interuallo à se remotum edocere de rebus scitu ei necessariis possit, idq; tam occultè & absque omni sumptus & pecuniæ dispendio, quod idem quidem etiam ex *Ormus* annunciari columbarum ministerio potest. *Columbæ literas ex Balsara Babyloniam deferunt.*

Postquam igitur mercatores nostri omnia quæ debuerãt persoluissent, & nuncium etiam de non magnopere timendis amplius prædonibus accepissent, conducebant sibi 19. Aprilis die Anni 1580. nauem aliquam, qua *Balsara* in *Ormus* perducerentur, soluentes pro ea 200. *Larinos*. Licet autem alias tantum non necesse sit persoluere, ipsi tamen minores eam tunc accipere non poterãt, propterea quod nullæ præterea onerariæ naues adessent, quæ autem aderant ad alios vsus essent destinatæ. Mercibus igitur omnib. naui illatis sub vesperam diei 21. eam ingrediebantur, moxq; sequenti die soluentes ex canali ciuitatis *Balsara* abierunt. Cum autem in Tigrim iterum delati, ad sepulturam alicuius, quem Sanctum nautæ prædicabant, peruenissent, in loco *Siccali* dicto expetebant nautæ à mercatoribus aliquam pecuniam, vt sacrificiũ Sancto illi offerre possent, quo peracto naues quidem alligabant, propterea quod aquæ crescere viderentur, & quidam ex nauib. aliis, (erant enim septem numero) promouere nihil quicquam possent. A meridie licet aquæ iterum decederent, non poterant tamen contra ventũ nauigare, sed per noctem ibi hærere cogebantur. Sequenti autem 23. Aprilis die, secundo vento iterum progressi pertingebant ad Insulam quandam *Fugiadi* nomine, multis & arboribus & ædificiis conspicuam, licet in medio flumine sita esset. Inueniebant ibi multas naues, illis quibus ipsi vtebantur similes, quarum vti descriptionem subiiciam operæ precium videtur. *Siccali.* *Fugiadi.*

Naues hæ in fundo excauatæ sunt & vacuæ, asseribus insigni artificio in prora puppiq; ita cõiunctis, vt aluum in medio faciant, quamuis aliquanto angustiorem, quam in nauibus ad *Caramusali* conspicitur. Puppis aliquãto eminentior est prora, clauumque sibi alligatum habet, qui ad latera vix duorum digitorum spacio moueri possunt. Gubernator trabi insidens funiculum manibus tenet, qui clauo ita alligatus est, vt in quam partem à Gubernatore trahatur, in eam clauus nauim propellat. Malum habent in medio consistentem, carbasa vero ei alligata in inferiori parte velut in quadris excauata sunt. Cum autem in puppi obseruant, velum quoddam minus *Nauium in Ormus descriptio.*

ipsis *Sambusa* dictum, dimittunt, illudque ab vno latere in aliud ad ventum dirigunt, postmodo aliud velum parti illi, in qua remiges sedent, alligatum, inferiori sua parte puppim versus trahunt, moxq; velum minimum ad verticem siue supremam mali partem protrahunt, eique vexillum aliquod affigunt. Funiculum autem cuius beneficio hoc velum attractum, & reliqua omnia malo alligata sunt, trabi postmodum, cui Gubernator nauis insidet, alligant, vt dimoueri non possit. In puppi nauis coopercuIum habent, triũ vlnarum altitudine ex lignis & storeis siue tegetibus arcendis pluuiis destinatum. Sed & quatuor vexilla in puppi ad quatuor latera, & vnum in medio erecta cernuntur. In prora autem duæ constitutę sunt anchoræ, quibus nauem, si ita necessitas ferat, retineant. Carbasa ex crasso constant linteamine, suntq; maiora & minora pro libitu nautarum. *Pennon* pro firmanda antenna, in prora nauis constitutus, eam velut æquilibrium continet, ne vel in hanc vel in illam partem nimis inclinet. Focum ad malum nauis firmatum, puppim versus conuertunt, ad latus eius situlæ duæ, seu vasa quibus aquam hauriant, *Tangi* ipsis dicta, ex funiculis & clauis ligneis consuta, & piscium adipe, vt naues ipsæmet illinita, pendent. Cæterum naues ipsæmet intrinsecus ramis palmarum vndique suffultæ & obductæ sunt: ita tamen vt rami isti neque latera neque fundum contingant, sed inter suffulturam illam & nauem ipsam spacium relinquatur, ne merces ab irrumpentibus forte aquis humectatæ corrumpantur. Naui autem semper cymbam aliquã coniunctam habẽt, quæ peculiari etiam velo instructa est, ne maiorem illam in cursu remoretur. Cum enim tempestas aliqua ventorum exoritur, velum illud per puerum in cymba illa sedentem explicari, rursusq; ventis cessantibus contrahi curant.

Fegiada. Iam vt ad cœptum iter reuertamur, 22. Aprilis circa meridiẽ, insignem & dactylorum feracem Insulam *Fegiada* dictam assequebantur. Ager ibi ab vtraque fluminis ripa fœcundus est & bene cultus. Flumen ipsum latitudine sua Nilum ferè æquat, & quasi stagnum aliquod efficit, vnde riuus quidã per oras *Bairen* & *Assionsan* transiens, tandem in mare exoneratur. Circa vesperam ad Insulam aliam applicarunt, mari quod *Colfo* siue sinum Persicum vocant, vicinam, vbi per noctem substiterunt. *Mare ingreditur.* Postero die cum horam vnam atq; alteram nauigando traduxissent, ad mare delati, vento omni destituebantur, cumque circa meridiem ventum sibi aliquo modo depræhenderent aduersum, in dextro latere Arabiam versus firmatis anchoris nocte ea permanserunt.

Fines Imperij Turcici. Sequenti 25. die, secundiori vtentes vento, directo in Austrum cursu, fines Turcici Imperii exteriores relinquebant. Pro vitando autem angulo, qui Persiam versus sub vndis excurrens *Rasalchel* nominatur, in altero latere Arabiam versus se continebant, progredientes felici itinere ad medium vsque noctis, cum subita tempestate exorta, carbasa & claui frangerentur, ipsique ingenti periculo exponerentur. Durabat hic ventus ad vesperam vsque 27. Aprilis, itaque illi sedato mari progressi sequenti 28. die ad Insulam *Gebel* appulerunt. Cum autem nauis foramen aliquod ex tempestate contraxisset, aquamque sorbere animaduerteretur, patronus siue dominus eius in mare se dimisit, foramen illud obice vel cuneo ligneo obturaturus. *Ratio noua reparandi naues in flumine hærentes.* Quamprimum enim fissuram aliquam in naui animaduertunt in aquam descendentes, tamdiu sub naui hærent, cuneoque, cui equorum setæ annexæ sunt, rimam illam inuestigant donec attractis per rimam setis, læsum ab vndis locum inuenisse se depræhendant, tunc enim adacto per rimam illam stipite siue cuneo, & obturato hac ratione foramine, ipsi salui ex vndis reuertun-

uertuntur. Sunt qui factis ex cornibus caprarum retinaculis nares comprimant, vt eò diutius sub aquis commorari possint, quod licet illis, qui id non viderunt, incredibile videatur, verum tamen est, & mercatoribus nostris haud semel compertum.

Circa meridiem eiusdem diei conuersa nonnihil prora, angulũ alium Persiam versus excurrentem, quem *Cæsarusuend* vocant, declinaturi progrediebantur; donec sequenti die *Silaum* assequerentur, qui locus reparandis nauibus perquam oportunus habetur, & quidem expediebat ipsis, quod ad hunc locum peruenerint & horas aliquot reparandis nauib. impendere voluerint. Tanta enim tempestas in eos paulo post irruit, vt maiorẽ in vita sua mercatores isti non viderint. Contendebant ipsi equidem remis velisq; ad promontoriũ aliquod applicare, vbi saluare sese & tuti latere à periculo possent, verum tãtus erat fluctuum impetus, vt cum quinq; adhuc leucis à promontorio abessent, clauus nauis in duas partes rumperetur, parte altera in aquam prolabente, altera vero funiculorũ beneficio puppi cui alligata erat adhærescente. Poterant nautæ isti vel piscium instar natare, itaq; duo ex illis omni fluctuum impetu neglecto atq; posthabito in mare sese abiiciebãt, arreptamq; partẽ illam clauo iterũ colligabant, vt vti eo aliquo modo iterũ possent. Concipiebant ibi spem aliquam fore vt periculum hoc euaderent, sed spes illa frustranea erat, paulo enim post clauus totus vi fluctuum auulsus abripiebatur, cogebãturq; ipsi carbasa sua explicare, & quo sors eos missura esset, sequi. Cum igitur de salute sua desperantes Deo sese precibus quisq; commendarent, & mortem singulis momentis expectarent, fluctibus montium instar sese eleuantibus, naui vero clauo destituta, modo in hanc modo in illam partem inclinante, accidit, vt anteriori nauis parte ad littus fluctuũ impetu proiicerentur, in quo alia quædam nauis hærebat. Videntes igitur, qui in ea erant quanto iactaretur hęc nauis discrimine, processerunt eis obuiam, compræhensamq; funibus ad littus protraxerunt. Quantum inde extiterit inter mercatores nostros gaudium, vel coniectura assequi cuiq; facile est. Gratulabantur equidem sibi inuicem, Christiani quidem Æthiopibus, & Æthiopes Christianis, confidentesq; peractis precibus & gratiarum actione ad Deum, cibo & potu sua corpora reficiebant, totam postmodo noctem aquis ex naui hauriendis insumentes. Locus hic vbi auxilium hoc ipsis obtigerat, *Natutz* dictus est. Commorati autem ibi integro biduo, cum nauem suam reparassent, clauum alium ei alligassent, & de rebus necessariis sibi prospexissent, soluentes iterum iter suum continuarunt, videbant autem prætereuntem nauem aliquam, quæ ante 40. dies ex *Ormus* ciuitate soluerat, & metu piratarum iter suum continuare nõ audens in Insula quadam substiterat. Hanc paulo post ex Insula *Chermon*, alia sequebatur, nuncium afferens de piratis, eos nempe ex *Golfo* siue sinu Persico discessisse, & non solum bona mercatorib. eripere, sed & submersis nauib. vita eos priuare solere. Pirati hi *Nutechi* vocantur, suntq; omnium, quorum in historiis vnquam mentio facta, crudelissimi atque sæuissimi. Venerant autem ex longinquis locis per duos transitus *Calmet* & *Puserin* dictos, in hoc mare, & à Lusitanis ita excepti sunt, vt cęsis quamplurimis fugam arripere qui superfuerant cogerentur.

Naufragij periculum.

Nautæ piscium instar natare valentes.

Natutz.

Piratarum crudelissimi & sæuissimi.

Cæterum sub occasum solis ex prædicto loco soluentes cursum suum iuxta littus dirigebant, aperto mari sese committere non audentes. Peruenerunt autem sequenti die ad locum aliquem *Barisaris* dictum, vbi ingentes admodum pisces mare nutrit, delphinis non absimiles, qui minores ita persequuntur, vt cogant eos sæpenumero ad littus prosilire, & sese incolis istius

Barisaris.

loci prædam exponere. Poſtquam autem totam illam noctem nauigando traduxiſſent, aſſequebantur 2. Maii die Inſulam *Cailon*, à qua non longe meridiem verſus alia diſtat, quæ *Lar* vocatur, iuxta hanc Inſulam videbant ingentem ſerpentum ſub aquis hinc inde natantium copiam. Directo autem in Auſtrum curſu conſpiciebant oras Perſicas, regionem ſterilem admodũ & infœcundam, habitatam populo paupere & rerum omnium indigente, qui ſi quando nauem videant prętererire, poſthabito omni periculo, mare ingrediuntur, & ſæpe quinq; vel ſex leucas natando conficiunt, donec eam aſſequantur & eleemoſynas ab ea obtineant, quibus vel panis bis cocti, vel dactylorum vel aliorum cibariorum aliquid communicari & exhiberi ſolet. Natatores autem hi pilam aere tumẽtem ſibi ſubiicere ſolent, vt ſuper eam quaſi quieſcant, ne fractis forte & debilitatis viribus, mergantur. Cæterum pilæ iſtæ foramen habent, quod corpore ſuo preſſum ab aquarum influxu tuentur. Quãdo igitur aliquid ipſis communicatur, in pilam ſtatim illud ingerunt, cum nudi alioqui incedant, & vbi eleemoſynas ſuas recondant, pręter pilas illas nihil habeant, quæ duplex ipſis officium præſtant, alterum, vt ſuper eas natantes requieſcant, & alterum, vt accepta munera in illis recondant. Populi hi in natando piſcibus ſimiles ſunt, nec reperiuntur, (vt nautæ noſtrorum mercatorum, qui tamen & ipſi nandi erant peritiſſimi, ipſimet fatebantur) qui cum eis conferri poſſint. Cibus ipſorum piſces tantũ ſunt & oryza, illis enim, ſicut nos pane & oryza, veſcuntur. Vnde videre eſt piſcib. eos loco panis vti, quod idem & animalia ipſorum, vtpote canes, feles, gallinæ, &c. faciunt, cum pręſertim nec frumentum, nec herbas, nec arborum fructus in regione ſua habere poſſint.

Homines quinque vel 6 leucas natando conficere valentes.

Populi natãdi peritiſſimi: ſolis piſcibus cum oryza veſcentes.

Cæterum mercatores noſtri totum diem nauigando traducebant, vt iſtam Inſulam ſuperarent, ſub veſperam autem in fretum aliquod inter Inſulam *Lar* & oras Perſicas incidebant, vbi pirati ſeſe occultare ſolent. Cum igitur in freto hoc nauigantes Inſulam quandam aliam, priori non abſimilem, aſſecuti eſſent, ecce nauis quędam piratica multis armatis inſtructa eis obuiam proceſſit. Itaque mercatores ea viſa, amicos ſeſe primum ipſorum eſſe ſimulantes, imperterrito curſu eis appropinquabant, ita tamen vt nemo præter remiges & nauis Gubernatorem ſeſe conſpiciendum præberet, donec adeſſe eis quam proximè viderent. Tum vero ſtatim ad bombardas & ſclopos ſuos conuerſi, ita eos adoriebantur, vt ſagittarum lancearumque cum gladiis in manib. obliti, remos quantum poſſent impellerent, & ad Inſulam ſuã properarent. Quamprimum autẽ eam aſſecuti eſſent accẽſo igne fumum ingentem excitabant, eo forſitan fine, vt piratis aliis ſignum darẽt, & ita fortiores in mercatores impetum facere poſſent. At illi cum, nauibus cæteris in tempeſtate ſupra commemorata amiſſis, ſolos ſeſe eſſe viderent, ingruente iam nocte, conuertebant curſum ſuum in Orientem, relictaque poſt tergum *Andrabè* Inſula, itemq; alia cui *Caris* nomen eſt, ſequenti 3. Maii, quamprimum dies facta eſſet, procul à terra ſe abeſſe depræhendebant, quæ *Quais* vocatur, viridis admodum & pulchra aſpectu. Prima hæc terra erat, quam in finibus Perſicis gramine, herbis & arboribus decoratam viderent, tota enim regio illa ſterilis, ſaxea & deſolata eſt. Circa meridiem curſu in Auſtrum directo, animaduerterunt piſcem nigrum, qui populis illis *Cherſo* dicitur, nauem ſequi, & cum magnitudine ſua ipſam nauem ſuperaret, aquam faucibus expuere, tanta altitudine, & ſine horrore intueri eum non poſſent.

Lar.
Piratarum periculum.

Andrabè.

Quais.

Sub veſperam proiecta anchora ibi requieſcebant, quod mare placidum eſſet, & ventus nullus audiretur. Sequenti die relicta poſt ſe Inſula

Furur

Furur post meridiem in duas naues incidebant, quæ ante quinque dies ex Insula *Ormus* soluerant. Afferebant autem nuncium de piratis, nullum ab eis in tota ista regione totoq; *Golfo* seu sinu periculum metuendum esse, cum ab illis qui in *Ormus* habitant emissis aliquot triremibus, in fugam versi, & ex regione ista exterminati essent. Omnes autem Insulæ istæ, quemadmodum & tota regio à *Furfur* & *Basidon* vsque frugiferæ sunt, & ab hominibus habitantur. *Furur.*

Sequenti die, nempè 5. Maii, depræhendebant in Insula *Basidon* triremes illas seu naues præsidiarias, ex *Ormus* ablegatas, proiecta igitur anchora sua substiterunt, nauigium quoddam de præsidiariis illis expectaturi. Quamprimum enim aduentantes Præfectus viderat, ablegato ad nauem nuncio, ad colloquium mercatores inuitabat, cumque ad littus venissent, quærebat ex eis, ecquid literarum ad Præfectum siue Capitaneum in *Ormus* haberent, militemque ex classiariis suis eis adiungebat, qui ad *Ormus* vsque ciuitatem eos comitaretur. Cum igitur aliquem sibi adiunxissent, maris istius expertum secundo vento progressi, ad tres illos vicos, *Basidur*, *Iersar*, & *Cerbil* appulerunt, postea conuerso versus Septentrionem itinere, cum angulum quendam euitare vellent, subito in arenam delati sunt, ex qua magna difficultate sese vix explicare poterant, cogebanturq; ibi hærere per totam fere noctem, donec crescentibus ob refluxum maris vndis, nauis iterum eleuata progrederetur. Continuato autem versus Septentrionem itinere, sub iugo montis transeundum ipsis erat, freto tam angusto, vt funes etiam adhibere certis quibusdam in locis ob defectum aquarum, & nauem protrahendo iuuare cogerentur, cum præsertim multis etiam saxis transitus iste abundaret. Hoc superato assequebantur duas Insulas, quarum circumferentia octo leucarum est, continuatoque versus Septentrionem cursu, sub vesperam ad vicum *Lefratie* appulerunt, in quo nautæ quibus tum vtebantur, habitabant. Hi abeuntes cucumeres fructusque alios mercatoribus afferebant, erantq; ibi gallinæ & capræ tolerabili pretio venales, vt ita de rebus necessariis sibi prospicere commode mercatores possent. *Lefratie.*

Cæterum nautæ ad naues reuersi, fissuris rimulisque omnibus in naui obturatis, continuato itinere, in tantas delati sunt, ob montium & saxorum frequentiam, angustias, vt vix ingenti cum labore & periculo transire possent, quare cum in opertum rursus mare peruenissent, reperta 9. passuum profunditate, quiescendum ibi per noctem putabant. Sequenti 9. Maii die, Orientem versus iuxta littus progressi, multos agros, pagos, hortos & ædificia cernebant, quorum incolæ cibum alium, preter pisces, dactylos & oryzam non habent, panem enim, quemadmodum & populi in reliquis Insulis habitantes non solum non habent, sed non norunt quidem, adeo, vt si quis panem nauticum bis coctum ipsis exhibeat, statim an Rhabarbarum sit interrogent. Lingua vtuntur Persica. Nomen autem Insulæ est *Boreche*, in longitudine Candiam referens, & 360. vicos maiores, pagis minoribus non computatis, continens. *Boreche.*

Post meridiem eiusdem diei aperuit sese eis tractus Insulæ *Boroch*, iam *Rasatabel* dictæ. Cumq; illam post se reiecissent, cœpit eis apparere desiderata *Ormus* Insula, in cuius portum sub vesperam, cum nimirum mensem & diem integrum, à 9. nempe Aprilis ad 10. vsq; Maii diem in itinere fuissent, feliciter appulerunt.

CAPVT XIV.

Descriptio ciuitatis Ormus.



RMVS ciuitas est non magnæ quidem capacitatis, sed tamen valde populosa, sita in Insula quadam, quæ licet ad 30. leucas se extendat, tam sterilis tamen est, vt præter lignum & sal nihil producat, sed aliunde quæ ad vitæ necessitatem pertinent, acquirere cogatur. Illa autem ex finibus Persiæ, sex miliaribus ab Insula remotis, tanta copia aduehuntur, vt nullarum rerum penuria in ciuitate hac depræhendatur. Non procul à ciuitate propugnaculum est pulcherrimum ad mare extructum, in quo Præfectus Regis Portugalliæ *Don Consaluo di Minxa*, habitat. Is potestatem habet Reges in *Ormus*, qui semper ex Persis eliguntur, & quorum modernus *Siafirusia Gialaledi* nominatur, nomine Regis Portugalliæ coronandi, illisq; imperandi, vt mandatis suis pareant, & sese ad nutum suum componant. Incolæ ciuitatis maxima parte Lusitani sunt, itemque Agiami, Æthiopes, Ethnici, Iudęi, aliarumq; nationum & religionum mercatores, qui variis mercib. negotiantur. Reperias enim ibi omnis generis merces & aromata, pannos item laneos, linteos, sericeos siue bombycinos & gossypinos, cum coraliis, ambra & id genus rebus aliis. Magna autem imprimis ibi equorum negotiatio est, qui inde in Indiam transferuntur.

In eligendis Regibus hunc seruant modum. Principio Rege aliquo defuncto, alium eligunt regio sanguine & stemmate prognatum, non tamen absque consensu Præfecti Lusitanici, idq; adhibitis variis ceremoniis. Postmodo electus cogitur fidem & obedientiam Regi Portugalliæ promittere, quo facto, porrigit ei Pręfectus nomine Regis sui Sceptrum & Coronam regiam, eumque magna solemnitate in arcem Regiam, quæ in vrbe est, deducit. Reges hi vitam honestam & satis splendidam agunt, reditus habent copiosos, & nulla prorsus grauamina experiuntur, cum Præfectus Lusitanicus eos tueri, & iurisdictionem eorum conseruare cogatur. Defert autem Præfectus iste Regibus, si forte cum eis aliquo proficiscatur, debitum suum honorem, sed ipsis iter aliquod ingredi, nisi id Præfecto prius significarint, non licet.

Æthiopes in ciuitate illa aliquot sacella habent, quæ ab eo tempore quo Lusitani ibi dominantur impetrarunt. Eleuatio poli in ciuitate est 25. graduum, portumque habet mediam inter Septentrionem & Orientem plagam spectantem. Pro auibus in hac Insula conseruandis exponuntur quotidie ad fenestras vascula quædam fictilia & cuprea, granis & aqua repleta, vnde cibum potumq; habere possint. Hoc enim nisi fieret, breui tempore omnes extinguerentur, nec vlla amplius per totam Insulam auis appareret. Abundant autem suibus, quæ maximè in littore maris pascuntur. Aqua potabilis ex Persia in vasis quibusdam fictilibus maris beneficio ipsis affertur, estq; salutaris admodum & palato grata. Ex iisdem locis accipiunt etiam fructus, oua & pecudes omnis generis. Vinum autem ex *Goa* partim, partim ex *Balsara* allatum, non vsq; adeo magno precio venditur. Vrna enim Veneta ad summum 4. coronatis venit, & tamen ipsis carum nimis videtur, itaq; ipsi sibi aliud ex vuis passis, quæ ex Babylonia & *Balsara* accipiunt, nucibusq; myristicis, quæ ex Arabia fructifera octingentarum leucarum itinere eo perferuntur, conficiunt.

Numerantur in ciuitate hac quinque templa & armamentarium vnum, fornicibus decem constans, quarum quælibet peculiares habet naues præsidiarias,

ſidiarias, ad hoc conſtitutas, vt iis mare à piratis & prædonibus vindicetur, tutusq; peregrinis mercatoribus acceſſus præſtetur. Fœminæ omnes, Chriſtianis ſolum exceptis, aurum naribus appenſum gerunt, atque ex eius magnitudine de facultatibus earum iudicatur. Æſtatis tempore tantus ibi feruor & æſtus eſt, vt præterquam matutino & veſpertino tempore, domo exire nemo audeat. Naues in portu conſtitutæ ramis palmarum & ſtoreis ſiue mattis ad aquam vſque obteguntur, hoc enim niſi fiat, reſoluta ęſtu ſolis nimio pice corrumpuntur. Hyems initium in medio Nouembri ſumit, & ad finem Ianuarii vſq; durat, tempus reliquum eſt vti in Italia moderatum, excepta æſtate, quam ſupra modum calidam experiuntur.

Dum mercatores noſtri in hac vrbe verſarentur, factus eſt ibi 21. Iulii, horam circiter pomeridianam tertiam ingens terræmotus, ſed non diu tamen durauit, nec damni inde illi multũ vrbi illatum eſt. Ingens autẽ eodem tempore auri & margaritarum theſaurus in ædibus primarii cuiuſdam *Viſir* inuentus eſt, quem Præfectus nomine Regis Portugalliæ ad ſe recipiebat. Hic *Viſir* eadem poteſtate qua *Vice Re*, ſeu vicarius Regis præditus eſt, & nomine Regis in *Ormus* telonio aſſidet. Sed & duo alii, Regis Portugalliæ nomine ad telonium ſedent, itaque ſi mercium aliquid domo mercatoria efferendum ſit, fieri id, niſi tribus hiſce perſonis præſentibus, vt Scribas & alios taceam, non poteſt.

Capvt XV.

Vbi, quando & qua ratione margaritæ capiantur.

Qvamvis in *Ormus* margaritæ non capiantur, cum tamen Inſulæ, quibus hoc fieri ſolet, non procul ab hac Inſula remotæ diſtent, aliquid de captu earum hic annotare viſum eſt. Omnium igitur, quæ haberi poſſunt, margaritæ præſtantiſſimæ & optimæ ſunt, quæ in Inſulis *Bairen* & *Gionfar* reperiuntur. Reliquas enim omnes candore, magnitudine & rotunditate ſuperant, quæ in aliis minoribus Inſulis capiuntur, quales ſunt *Latif, Laſen, Barechator, Zezirafilbar, Alul, Seran, Dſive, Daas, Emegorcenon, Antevi, Zerecho, Delmephialmas, Sirbeniaſt, Aldane, Feſtebruatich, Cherizorn, Dibei, Sarba, Agiman, Ras, Emelgovien, Raſagiar, Daoin, Raſaelchime, Sircorcor, Caſab, Conzar, Meſendenderadi, Lima, Debe, Chorf, Chelb, Sarar, Suet, Meſtar, Garagiat, Tevii, Golat, Fur Gatile, Sam, Gameda, Bacha,* & *Iadi*. Nam in omnibus hiſce locis margaritæ inueniuntur, ſed non vſque adeo elegantes & rotundæ, ſed oblongæ & incuruatæ ſiue gibboſæ, tam maiores quam mediocres atque minores. Inuentæ ſunt quidem ante hæc tempora & in *Muſcato*, qui locus 60. leucis ab *Ormus* abeſt, margaritæ admodũ pretioſæ, verum locus iſte nullas amplius ſuppeditat, reperiunturque ibi hodiè piſces gallis gallinaceis ſimiles, quorum venenatus morſibus, qui capere margaritas inſtituunt, ſtatim necantur. *Vbi generentur margaritæ.*

Generantur vniones & margaritæ ex pluuia, quæ in Aprili cadit. Eſt enim in mari genus aliquod oſtreorum, vim aliquam ſeſe commouendi naturalem habẽtium, inſtar *Cappeſante* in Italia. Hæc in Aprili ad ſuperficiem aquæ ex mari eleuata, ſeſe aperiunt, conceptisq; de pluuia aliquot guttulis, concluſa iterum in fundum maris ſe dimittunt, vbi omnes iſtæ guttulæ in vniones ſiue margaritas commutantur. Non capiuntur autem niſi ſub finem Iulii & per totum Auguſtum, non enim citius matureſcunt, ſed crudæ & molles inſtar viſci & bituminis in oſtreis reperiuntur. Inſulæ equidem, quæ à *Comeri* ad *Chilao* & *Seilan* vſque ſe extendunt, omnis id nominis habent, *Modus generationis.* *Quando capiantur.*

bent,vt margaritarum Insulæ dicantur,nouerunt enim earum incolæ optime tempus, quo margaritas capere oporteat, quod cum iam instat, peritissimos quosq; natandi sub aquas dimittunt, exploratum quo loco quamplurimum ostrearum margaritiferarum contineatur. Hoc enim cognito, mox tabernas & tuguria quædam ex stramine & alia leui materia ad eum locum excitant, assumptisque rebus ad victum necessariis, toto capturæ tempore ibi cōmorantur, qua peracta mansiunculas illas iterum destruunt. Permittitur autē vnicuiq; margaritas capere, cum Regi Portugalliæ, quemadmodum etiam Ecclesiæ Cathedrali ad Sanctum Paulum, certum suum tributum hoc nomine persoluant.

Quamdiu margaritarum hæc captura durat, semper in mari præsidiariæ aliquot naues cum multis classiariis militibus constitutæ sunt, qui piscatores margaritarum à piratis & prædonibus defendant. Congregantur enim in vnum locum multis nauigiis piscatores, simulque exoriente sole à littore in *Golfum* seu mare progressi, variè sese distribuunt, cumque locum sibi quisque peculiarem elegerunt subsistentes funiculos aliquot, quibus lapides alligati sunt, ex nauigiis ad fundum vsque demittunt, postmodo claustrum ex caprarum cornibus factum naribus aptat aliquis, aures vero oleo quodam, quod aquam non admittit, inungit, atque ita appenso ad collum sacco, apprehendens ex funiculis illis aliquem, ad imum vsque maris descendit. Summa autem celeritate repleto ostreis sacco, signum illis, qui in naui sunt, commoto funiculo præbet; qui commotione hac visa nihil cunctantes, piscatorem cum ostreis extrahunt, ne iusto diutius sub aquis manens, quod quidem vsu euenire haud raro solet, suffocetur. Cæterum vno egresso descendit alius, continuaturque piscatio hæc ad vesperam vsque, donec omnes descenderint & officio suo perfuncti sint, vbi sæpenumero accidit, vt si commodum offenderint locum, nauiculam suam ostreis probè repletam domum aduehant. Reuersi autem ad tuguria sua, quælibet societas, quæ vna naui vtitur, ostreas suas in vnum aceruum cumulant, nec tamen eas attingunt donec captura prorsus finita est, tunc enim assidentes aceruo suo, eas absque omni labore, cum mortuæ iam sint, aperiunt, margaritas eximunt, & in pertuso aliquo vase æneo percolantes, rotundas à longiusculis separant, illas enim vtpote præstantissimas, Lusitani coemunt. Secundum genus, quod rotundam figuram plane respuit, vocant *Aia di Bengala.* Tertium, quod aliquo modo, non tamen perfectè rotundum est, *Aia di Canara.* Quartum vero minimarum & vilissimarum margaritarum genus *Ata di Cambaia* vocant. Adsunt enim statim, qui separatas hoc modo, & secundum genera sua distributas æstiment, ne ab aduentantibus mercatoribus, qui exiguo temporis spatio omnes postmodo coemunt, ipsis tanquam simplicioribus rudioribusque facilè imponatur, cum præsertim infinita pericula, non solum ab aquis, sed & ab arenis & saxis sub aqua latentibus, experiri & superare margaritarum piscatores cogantur.

Quomodo capiantur.

CAPVT

CAPVT XVI.

De ponderibus, mensuris, monetis & vectigalibus, in ciuitate Ormus *vsitatis.*

PRo aromatibus & mercibus aliis diuendendis varia in hac ciui-
tate pondera habent. *Droga* enim habent interdum 3. *Cantara* *Droga.*
& 3. *Rubi*, interdum vero 4. *Cantara* & 25. *Rotoli*, quæ omnia *Ba-* *Cantara.*
ro nominantur; continetq; *Baro* maius & minus 20. *Frassolas.* *Frassola.*
Vnum autem *Frassola* facit 100. *Mano*, atque ita *Baro* quodlibet 200. *Mano* *Mano.*
continet. Quodlibet *Mano* habet 24. *Chiasso.* Quodlibet *Chiasso* habet 10$\frac{1}{2}$. *Chiasso.*
Metacalli, quodlibet *Cantara* cõtinet 4. *Rubi*, vnum *Rubi* sunt 32. *Rotoli*, vnum *Metacalli.* *Rubi.*
Rotolo sunt 16. vnciæ, vna vncia habet 7. *Metacalli.* Itaq; vnum *Cantaro* ha-
bet 128. *Rotoli*, quæ faciunt 192. libras Venetas minores. *Rotoli.*

Bari in *Ormus* sunt multorum generum, cumq; nominatur *Baro* maius, in- *Bari.*
telliguntur 7. *Cantara* & 24. *Rotoli*, quæ faciunt 1380. lib. Venet. minores.

Monetæ hoc in loco vsitatiores sunt *Lecce*, valet autem *Lecca* vnum 100. *Lecca.*
Asari, quæ faciunt 190. *Larini*, vel 38. *Pardai*, & dimidium *Larin*, si 5. *Larini* ad *Asar.*
Pardao vnum computentur. *Asar* vnum sunt 10. *Sadini*, vnum autem *Sadino* *Larini.*
sunt 10. *Danari.* *Larini* quinq; faciunt 1$\frac{1}{4}$. *Sadini.* Si autem spectes monetas *Sadino.*
Alepicas, *Sadino* idem est quod *Maedin*, vna autem eius quarta facit 5. solidos
Venetos, qui *Larini* in *Ormus* facerent 26. solidos Venetos minores.

Mensura in *Ormus* duplex est, vna vocatur *Caudo*, & superat mensuras A- *Caudo.*
lepicas integro quadrante, cui enim Alepi dantur 100. *Pichi*, is in hac ciui-
tate reperit 103. Quod si mensuram hanc cum ea, cuius in *Balsara* aut Baby-
lonia vsus est, conferas, superabit eam 25. partibus cum duabus tertiis. Qua-
re cui in Babylonia aut *Balsara* dantur 100. *Pichi*, quarumcunq; mercium,
is in hac ciuitate depræhendet se habere 125. cum duabus tertiis.

Sed & aliud mensuræ genus habent, quod *Vara* vocant, transmissum *Vara.*
nempe à Rege Portugalliæ in hanc ciuitatem, vt vilioris precii mercib. ad-
hiberetur. Hæc mensura palmos quinq;, digitos vero 20. continet, & su-
perioris mensuræ *Couedo*, vnam saltem quartam partem cum duabus tertiis
constituit, vt qui 100. *Couedo* coemit, si hanc mensuram *Vara* adhibeat, non
plus quam 60. reperiat.

Quod ad vectigalia huius ciuitatis attinet, admiratione dignum est, quod naues quæ ex *Goa* aut aliis Indiæ locis, mercibus oneratæ in portu huius ciuitatis appellunt, si tantum mercium aduehant, quantum decem equis onerandis sufficit, ne minimum quidem teruncium vectigalis nomine persoluant, sed planè liberæ sint: Rursum autem, si tantum nõ adferant, quantum decem equi ferre possunt, vectigal totum persoluere cogantur. Præterquam enim quod longo vsu ita receptum apud eos fuerit, Rex Emanuel etiam consuetudinẽ hanc non ita pridem cõfirmauit. Quod si quis decem equos mercibus suis onerasset, vnum vero in itinere deficere & mori contingeret, necesse est, vt, nisi perspectę fidei sit, caudam demortui istius equi resectam ad *Eminum* perferat, si liber à vectigali esse velit. Cæterum vectigal in *Ormus* deunx est: nam de centenis singulis vndecim persoluere mercatores coguntur, quorum decem quidem Regi Portugalliæ, vnum vero præsidiariis nauibus cedunt. De speculis, perspiciliis, sphærulis precatoriis, & id rebus aliis vitreis, vectigal nullum soluitur. Iudæi autem, Armenii & Æthiopes, præter deuncem hunc aliud adhuc vectigal præstare coguntur, nempe quadrantem, seu tria de centum, quod *Caida* ipsis vocatur. *Caida.*

CAPVT

Caput XVII.

De vectigali & sumptibus, quos ab Ormus *vsque ad* Chiavul, Goa, *&* Cocchi, *naues facere coguntur.*

Popvli, qui vocantur *Imoccaiarri,* soluunt pro tabula vna *60.* partium, *6. Larin.*

Pro ordinaria seu consueta *Cassa* aquæ rosarum, 8. *Larin.*

Pro vnoquolibet *Cantaro* seu 128. *Rotuli,* 10. *Larin.*

Pro vnoquolibet *Cantaro* amygdalarum *9. Larin.*

Pro *Cantaro Ruiua de Calagnii* 12. *Larin.*

Pro *Cantaro* mercium vitrearum 8. *Larin.*

Cassa continens quinque *Pardi* soluit 10. *Larin.*

Casoni maiores singuli 14. *Larin.* Mediocres vero 12. *Larin.*

Tamari vsque ad *Moscatum* soluunt pro quolibet *Fardo* 3. *Sadin.*

Tamari vsque ad *Diu* vel *Chiauul* soluunt pro quolibet *Fardo* 4½. *Sadin.*

Quod si vero merces pro 10. equis in nauibus vehantur, vectigalis quidem nomine nihil præstatur. Quod ad nautas attinet, ipsosmet de sumptu suo solicitos esse oportet.

Iam cum debitum omne mercatores nostri in *Ormus* persoluissent, muneraq; non pauca Præfectis eorumq; ministris obtulissent, constituerunt iter suum *Goam* versus dirigere. Antequam autem ad itineris istius descriptionem descendam, visum est mētionem hic facere aromatum, quæ in *Ormus* reperiuntur, eorumq; pondera cum ponderibus Venetis conferre.

Sic igitur *Baro* vnum nucum myristicarum, ex 3. *Cantara* & 25. *Rotoli* constans, habet 682½. libras Venetas minores.

Tria *Cantara,* quæ ex 71. *Rotoli* constant, Caryophyllorum, habent 682½. libras Venetas minores.

Tria *Cantara* Macis, quæ constant 71. *Rotoli,* habent 682½. libras Venetas minores.

Tria *Cantara* stanni, quæ constant 86. *Rotoli,* habent 705. libras.

Tria *Cantara* Cassiæ, quæ constant 86. *Rotoli,* habent 705. libras:

Sandalii optimi ex *Malacca* tria *Cantara,* quæ constant 86. *Rotoli,* habent 705. libras Venetas minores.

Sandalii vilioris ex *Cucci,* quatuor *Cantara,* quæ constant 25. *Rotoli,* habent 805½. lib.

Verzinii *Cantara* 4. *Rotoli* 13. lib. 787½.

Spicanardi *Cantara* 4. *Rotoli* 25. lib. 805½.

Argenti viui *Cantara* 3. *Rotoli* 86. lib. 705.

Piperis oblongi *Cantara* 4. *Rotoli* 25. lib. 805½.

Sandaraca 4. *Cantara* 25. *Rotoli,* lib. 805½.

Galanga ex China, *Cantara* 4. *Rotoli* 25. lib. 805½.

Zingiberis albi saccharo conditi *Cantara* 3. *Rotoli* 64. lib. 672.

Myrobal. condit. *Cantara* 4. *Rotoli* 25. lib. 805½.

Moschi *Metacalli* 7. faciunt vnciam vnam Venetam minorem.

Ambra grisea opt. *Metacalli* 7. faciunt vnciam vnam.

Ambra nigra *Metacalli* 7. faciunt vnciam vnam.

Benzoin *Cantara* 4. *Rotoli* 25. lib. 805½.

Benzoin sublimat. opt. *Cantara* 4. *Rotoli* 25. lib. 805½.

Lacca ex *Pegu, Cantara* 4. *Rotoli* 13. lib. 787½.

Lacca ex *Bengala, Cantara* 4. *Rotoli* 13. lib. 787½.

Zingiber

Zingiber ex *Buli*, *Cantara* 4.*Rotoli* 13.lib.787½.
Zingiber ex *Mecha*, *Cantara* 4.*Rotoli* 13.lib.787½.
Zingiber *Beledi*, *Cantara* 4.*Rotoli* 13.lib.787½.
Nuces condit. *Cantara* 3.*Rotoli* 64.lib.672.
Cardamomi opt.ex *Barzolar*, *Cantara* 4.*Rotoli* 25.lib.805½.
Cardamomi ex *Bengala*, *Cantara* 4.*Rotoli* 25.lib.805½.
Zingib.condit.ex *Giaga*,*Cantara* 3.*Rotoli* 64.lib.672.
Myrobalani *Chebuli*, *Cantara* 4.*Rotoli* 25.lib.805½.
Myrobalani omnis generis, *Cantara* 4.*Rotoli* 25.lib.805½.
Aloe ſuccotrina, *Cantara* 2.*Rotoli* 86.lib.705.
Aloe Epatica, *Cantara* 3.*Rotoli* 86.lib.705.
Sacchari candid. *Cantara* 3.*Rotoli* 96.lib.720.
Sacchari *Mezan* vel mediocris, *Cantara* 3.*Rotoli* 96.lib.720.
Croci *Cantara* 3.*Rotoli* 64.lib.672.
Ligni Chinenſis *Ganta*, h.e. *Cantaro* dimidium ſeu ſeſqui *Rotoli* lib.2¼.
Thuris opt.in granis, *Cantara* 4.*Rotoli* 13.lib.787½.
Turbith *Cantara* 4.*Rotoli* 24.lib.805½.
Abelmelucea, *Cantara* 7.*Rotoli* 24.lib.1380.
Nuces gomitæ, *Cantara* 7.*Rotoli* 24.lib.1380.
Rhabarbari *Cantara* 4.*Rotoli* 25.lib.805½.
Specula fract. *Cantara* 3.*Rotoli* 96.lib.720.
Sacchari Canar. *Cantara* 3.*Rotoli* 64. lib.672.
Curcuma, *Cantara* 4.*Rotoli* 13.lib.787½.
Syluestris caſſiæ *Cantara* 3.*Rotoli* 61.lib.859½.
Cucculæ Orientales, *Cantara* 7.*Rotoli* 24.lib.1380.
Comin, *Cantara* 7.*Rotoli* 24.lib.1380.
Tamarin, *Cantara* 8.*Rotoli* 25.lib.805½.
Salarmoniaci *Cantara* 3.*Rotoli* 86.lib.705.
Zedoariæ amaræ, *Cantara* 4.*Rotoli* 61.lib.859½.
Cubebarum *Cantara* 4.*Rotoli* 25.lib.805½.
Gamphoræ, *Cantara* 3.*Rotoli* 86.lib.705.
Myrrhæ *Cantara* 3.*Rotoli* 86.lib.705.
Coſti dulcis, *Cantara* 4.*Rotoli* 25.lib.805½.
Boracis *Cantara* 3.*Rotoli* 86.lib.705.
Aſæ fœtidæ, *Cantara* 3.*Rotoli* 86.lib.705.
Ceræ flauæ *Cantara* 5.*Rotoli* 86.lib.705.
Serapini *Cantara* 4.*Rotoli* 86.lib.705.
Caſſiæ ex Campagia *Cantara* 4.*Rotoli* 24.lib.805½.
Styracis liquidæ *Cantara* 7.*Rotoli* 24.lib.1380.
Tutiæ *Cantara* 3.*Rotoli* 75.lib.690.
Onto ſottil vel vnguenti ſubtilis *Cantara* 7.*Rotoli* 24.lib.1380.
Olei omnis generis *Cantara* 7.*Rotoli* 24.lib.1380.
Nucleorum ex nucibus Indicis *Cantara* 7.*Rotoli* 24.lib.1380.
Ques de Calencha *Cantara* 3.*Rotoli* 96.lib.720.
Aluminis Rochæ *Cantara* 3.*Rotoli* 96.lib.720.
Copræ de nucibus Indicis *Cantara* 4.*Rotoli* 13.lib.787½.
Ligni paradiſi de Cucci & China, *Cantara* 3.*Rotoli* 86.lib.705.
Ligni paradiſi de Malacca *Cantara* 4.*Rotoli* 25. lib.1805½.

K CAPVT

Caput XVIII.

Itineris ex ciuitate Ormus *vsque ad* Diu *descriptio.*



ERACTA in *Ormus* negotiatione cum incredibili cupiditate quidam ex mercatoribus nostris tenerentur Indiam Orientalem perlustrandi, egerunt cum *Don Consaluo,* qui tum temporis Præfectus seu Capitaneus Insulæ & ciuitatis *Ormus* erat, vt sua naui in *Goam* traducerentur. Nihil autem vectigalis nomine, præter ordinarium tributum *Crugie* ipsis dictum, persoluebant, cum alias omnes peregrini quadrantem siue tria de centenis numerare cogantur, exceptis solis Lusitanis, quibus etiam mercatores nostri à Præfecto adnumerabantur. Quare cum *Nolo* siue naulum, ordinarium nempe nauigationis precium, pro se & mercibus suis persoluissent, cymbam, qua mercatorum bona ad naues peruehuntur, ingressi, ad nauem prædicti *Don Consaluo* se traduci curabant. Conscensa igitur naue circa meridiem 29. Septembris ex portu soluentes iter ingressi sunt, peruenientes eodem adhuc die ad Insulam Bonæ spei, vbi proiectis duabus anchoris per noctem illam sequentemq; integrum diem substiterunt, donec merces suas in naui sua disposuissent.

Insula Bonæ spei.

Sub vesperam 30. Septembris cum Austrum ventum nimium sibi conuenientem flare animaduerterent, eleuatis anchoris progrediebantur, assequentes sequenti diluculo Insulam *Larac,* qua ad dextram relicta, postero die, qui 2. Octobr. erat, ad angulum quendam, saxis aliquot munitum, cui nomen est *Masedon,* in latere Arabiam respiciente deferebantur. Cumq; ei oppositus esset in latere Persico alius, quem *Diamat* vocant, cogebantur inter hos duos angulos non sine magno periculo cursum nocte ea tenere. Cęterum cum non hos solum angulos, sed & scopulos quamplurimos alios, nempe *Giasch, Colmobarech, Giachni, Pacheston, Zanca, Gordon, Palme,* & *Rasazezira* nauigando superassent, & iam terra omni ex oculis ipsorum se subducente, pręter cœlum & aquam nihil viderent, cogebantur per *Golfum* siue sinum quendam, longo admodum & periculoso tractu, cuius aqua alba & lactea apparebat, nauigare. Continuato autem itinere sub vesperam 10. Octob. apparebat ipsis in Occidente ingẽs Cometa horrido admodum aspectu, qui caudam suam in Austrum proiiciebat, radios subinde aliquos versus ortum spargens. 13. Octob. Balænæ ipsis duæ, vix tantillo quod sagittæ iactũ assequi possis spatio, à naui remotæ, cernebantur tanta magnitudine, vt quantum ex superficie dorsi ipsarum coniicere licebat, nauem suam longe superarent. Sequenti vespera cœlum quasi apertum, ignem vomere, & tanta copia expuere videbatur, vt incẽdium naui suæ metuerent. Ignem hunc sequebatur accẽsus quidam vapor, qui stellæ assimilatus, magnitudine quatuor passuum, cernebatur sese instar ignitorũ radiorum in mare demittere. Erant ab hoc visu nõ parum exanimati, cõtinuata tamen nauigatione progrediendum sibi censebant, videntes interim magnam piscium copiam circa nauem suam à fluctibus ferri & protrudi, quasi mortui essent. Monebant autem nautæ ne quis eos contrectaret, esse enim ex eorum genere, qui acutissimis suis pinnis, non solum manus contrectantium vulnerarent, sed & venenum quasi affunderent, vt manus inde intumescẽtes exquisitissimos dolores, quandoq; & mortem ipsam hominibus afferrent.

Larac. *Cometa.* *Balænæ duæ nauis instar.* *Vapor accensus in mare dimittitur.* *Pisces pinnis suis homines lethaliter lædentes.*

Non poterant adhuc terram videre, quamuis dies noctesq; nauigationem continuassent. Cernebant autem rursus 15. Octob. horam circiter 9. matutinam, ingentem balęnam, quę longitudine sua triremẽ maximam superabat,

Balæna triremem longitudine sua superans.

perabat,& aquam tanto impetu in altum euibrabat,vt malum nauis suæ excedere videretur. Progressis nocte illa *Testoni* aliquot rotundi & candidi in mari apparebant similes coronatis argenteis Venetis. Itaq; nautæ inde colligebant non procul sese iam à finibus Indiæ abesse, sed fallebat ipsos coniectura. Nam etiamsi integrum adhuc biduum nauigādo absoluerent,non poterant tamen vel fundum deprǣhendere, vel terram vllibi videre, quod mirum ipsis videbatur, cum præsertim iam dies aliquot præteriissent, quibus terra ipsis nulla visa esset. Minuebantur autem quotidie cibaria,equis præsertim 22. quos in naui secum habebant,pabulum & aquam potabilem magna auiditate absumentibus, vt periculum famis imminere ipsis certissimum videretur.

Nautæ itaque,vt nihil in se desiderari paterentur,gradus eleuationis diligenter obseruabant. Cum vero ad 21. vsque Octobris ita nauigassent,cœperunt ipsis serpentes aliqui in aqua apparere,colligebant igitur inde se sexaginta amplius leucis à finibus Indiæ non abesse amplius, siquidem eiusmodi serpentes tractum illum suppeditare scirent. Circa meridiem, cum Nauarchus eleuationis gradum obseruaturus esset,deprǣhendit lunam ex ventorum varietate halonem contrahere,quod cum ante tres annos similiter factum diceret,& tantam postmodum tempestatem in mari extitisse, vt quamplurimæ naues hoc ipso tractu naufragium fecerint, non exiguum mercatoribus timorem incussit. Habent autem nautæ, qui hac nauigare consueuerunt, vexillum aliquod,quod Sancti Thomæ nominant, suntq; in ea opinione,quod,si vexillum hoc in mare abiiciant,illud pacificum statim & quietum reddatur. Nauarchus igitur ipsorum præuisa tempestate, vexillum suum requisiuit, illudq; ventis obiiciens eos ita compescuit, vt tranquillitas in mari maxima existeret, & quilibet animum rursus concipiens meliora speraret. *Vexillo S. Thomæ venti placantur & sedantur.*

Sedato hac ratione mari profunditatem Nauarchus explorare cœpit, cumque orgyarum 40. eam reperiret,lætitiam omnes haud exiguum conceperunt, quæ paulo post augebatur, cum & hirundines & grues prætervolare viderent,quæ volucres terram non abesse iam longius argumento ipsis erant certissimo. Postquam igitur vario vento ad 23. vsque Octobris vsi essent,significabat ipsis,qui excubias in corbe mali agebat,terram sese videre, quam putet esse regionem *Diu*, cum nimirum Septentrionem versus se extendat. Circa meridiem eius diei nauem aliquam cernebant Insulam *Diu* petentem,quo cum & ipsi contenderent,vna atque altera ante vesperam hora littus Insulæ *Curinal* assequebantur. Erant ibi aliquot sacella, & iuxta ea innumera gryllorum noctu stridentium, præterea etiam muscarum, à quibus non parum molestiæ in nauibus percipiebant, multitudo; sed & pisces aliqui decem & amplius passus lati in littore illo sese conspiciendos præbebant, magnum strepitum excitantes, quos nautæ illi *Lachan* vocabant. *Diu.*

Non procul ab hac Insula Septentrionem versus aliam cernebant Insulam,cuius solum rubicundum apparebat. Sequenti autem vespera applicantes iuxta propugnaculū *Diu* inueniebant ibi duas naues prǣsidiarias Lusitanorum, qui referebant superioribus diebus quinq; naues ex *Mecha* venientes in portu illo naufragium fecisse, & in angulo seu extremitate portus non ita pridem 65. varii generis nauiculas submersas periisse, addentes præterea, Cardinalem, qui Rex Portugalliæ fuerat, postquā Romano Pontifici regnum suū pro arbitrio & libitu suo constituendum obtulisset,diem suum obiisse. Sed & hoc dicebant, Lusitaniam duplicem iam experiri pœ-

nam, peſtem nimirum & Regis Hiſpanici militem, aeremq; in *Goa*, cadauerum ex quadrimo bello trucidatis hominib. Elephantibusq; multitudine, maximopere infectum & pernitioſum redditum eſſe.

Rex in Magor baptiſmũ admittit.

Appulit in portum hunc 27. Octobris die nauis quædam alia præſidiaria ex *Goa*, nuncium ferens, quod potentiſſimus Rex in *Magor*, diſputatione aliqua cum Canonicis ad Sanctum Paulum non ita pridem inſtituta, eo adductus eſſet, vt conſtituerit baptiſmum vna cum coniuge & duob. filiis admittere, quo facto ſpem etiam de reliquis ſubditis cõcipi poſſe, fore vt ipſi quoque ad Chriſtianam religionem conuertantur, cum Æthiopes hactenus ethnicis ſuperſtitionibus fuiſſent addicti. Cæterum vt appareret hanc in Rege conuerſionem non ſimulatam ſed ſeriam eſſe, preces eum ſeſe ſingulis diebus coram crucifixi imagine peragere dicebant. Rex hic potentior eſt Imperatore Turcico, vel etiam Rege Hiſpano, & conſiſtit potentia eius in innumera Elephantum & equorum copia, ſiquidem tota eius regio, cuius octo millium leucarum circumferentia eſt, vndique illis abundet. Erat hoc nuncium bonum equidem, verum cum mercatores noſtri paulo amplius progreſſi ad ciuitatem *Diu* perueniſſent, illud quidem quoad Regis ipſius perſonam verum eſſe, ſubditos autem eius tantum abeſſe, vt imitari Regis exemplum vellent, vt etiam vitæ eius, propterea quod baptizari ſe curauerit, inſidias ſtruerent, cognouerunt.

Capvt XIX.

Deſcriptio ciuitatis Diu.



Ivitas *Diu* non quidem multorum eſt ædificiorum, ſed multæ tamen negotiationis, ſiquidem naues quamplurimæ omnis generis mercibus oneratæ, quæ ex Media venientes, *Ormus* ciuitatem petunt, ibi appellunt. Sita eſt in parua quadam Inſula regni Cambaiæ, ſub 11. poli gradu, angulum Indiæ reſpiciens, vnde prima eſt, ad quam in nauigatione ex *Ormus* ciuitate, in Indiam ſuſcepta, peruenitur. Propugnaculo gaudet omnium fortiſſimo quotquot Luſitani in tota hac regione poſſident: nam eleuato maximo ſcopulo impoſitum, & duplici circumquaque vallo cinctum eſt, vt inſuperabile & inuictum habeatur. Sub ingreſſum eius tormentum conſtitutum cernitur, tantæ capacitatis, vt ſedere in eo quis erectus poſſit, dicunturque plura & maiora ibi fuiſſe, cum à Rege Portugalliæ expugnaretur, quæ poſtmodum in Portugalliam traducta ſint, ſuperſunt tamen ibi adhuc tormenta cum ſclopis, bombardis, & id genus aliis armis quamplurimis. Canalis ſiue tranſitus nauium inter propugnaculum & continentem eſt, vt ita nauis tranſire abſque Luſitanorum permiſſu nulla poſſit, cum præſertim tormentis ſuis ex propugnaculo ad continentem vſque pertingere facilime poſſint. Inter propugnaculum autem & ciuitatem columna poſita eſt, tribus ſagittis in morem ſtellæ diſpoſitis, pulcherrimè exornata & coronata, in ſignum, quod naues iſthac tranſeuntes vectigal perſoluere debeant.

In littore maris portus eſt gradibus aliquot 50. paſſus longis ornatus, per quos merces eleuantur & demittuntur. Collocatæ autem ſunt in portu illo duæ columnæ ſiue pyramides, quarum quæ in dextro latere cernitur, inſignia Regis Portugalliæ, altera vero in ſiniſtro latere tres ſagittas exhibent, de vectigali Portugalliæ Regi ſoluendo monentes. E regione portus huius domus mercatoria eſt, duobus vexillis Cruce inſignitis, ſub ingreſſum conſpicua, & area tantæ capacitatis prædita, vt pallatium Ducis Venetorum

torum

torum ſuperare videatur. Multis autem cameris & tabernis vbi merces deponantur, diſtincta eſt, reperiunturq; ibi multi Scribæ & librarii, pleriq; tamen ſuperſtitionibus ethnicis addicti.

Mare hoc in loco à Præfecto quodam plusquam 50. præſidiariis nauibus, quæ ſingulæ ſuum peculiarem Subpræfectum habent, à piratis tutum redditur. Ciuitas ipſa ſatis pulchra eſt, multis tabernis mercatoriis pro omnis generis mercibus, & aliquot templis elegantibus columnis impoſitis conſpicua, à Luſitanis muro vndique cincta firmiſſimo, qui ab vtraque portus extremitate terminatur. Pro defenſione ſua duos ſortita eſt Præfectos, quorum alter in arce ſiue propugnaculo, alter in domo excubitoria reſidet. Multis abundat herbis, maximè vero raphanis & id genus aliis, fœniculum etiam & cucumeres habet, nec volucribus deſtituitur, præterquam quod anates & gallinas non habeat, quæ ex *Chiauul* eo deferuntur.

Incolæ bouina, veruecina & ſuilla carne parce vtuntur. Mulieres ornatui parum indulgent, nec fucandis faciebus operam dant, præterquam gentiles Æthiopicæ, quæ dentibus nigro colore inficiendis multum ſtudent, quo enim nigrioribus cernuntur dentibus, eo amabiliores & chariores viris habentur, itaque vt dentes eo melius conſpiciantur diductis ſemper labiis incedunt. Corpora mortuorum igne cremantur, cineresque in quatuor elementa diſtribuuntur, ea ratione, quod, cum homo ex quatuor elementis conſtet, æquum ſit, vt eo defuncto, quodlibet elementum, quod ſuum eſt, recipiat. Moris eſt in *Cambagia*, vt vxores mortuis maritis ſuis pretioſiſſimas veſtes induāt, gemmisq; & margaritis ſeſe mirum in modum exornent. Quando igitur corpora defunctorum rogo impoſita iam cremantur, ipſæ ad ignem accedunt, veſtes & ornatum omnem exuunt, atque inter aſtantes amicos variè diſtribuunt, poſtmodo canentes atque ſaltantes in ignem ſeſe coniiciunt, vt vna cum corporibus maritorum ſuorum comburentur. Et quidem hanc conſuetudinem tam ſanctè obſeruant, vt ſi qua id facere recuſet, pro impudica & perfida in virum ſuum habeatur.

Vinum in hac ciuitate non reperitur, quod illis quidem in locis creſcat, potum vero ex nucibus myriſticis, oryza, dactylis, & vuis paſſis conficiunt, qui grati quidem ſaporis eſt, ſed ſtomacho multum nocet, cum vt Aqua vitæ ſeu vinum igne eliquatum eum vrat atque inflammet. Suppeditat hic locus Zingiber etiam. Cancros autem habent miræ magnitudinis. Aer nocturno tempore ſupra modum frigidus eſt, ita vt vix perferri queat, interdiu autem tantus ibi æſtus à ſole depræhenditur, vt veſtitum tolerare nemo poſſit. Mare eius loci piſces producit ſquamis candidis oppletos, *Piſces volantes.* & iuxta branchias ab vtroque latere alatos, qui eleuati ex vndis, alarum ſuarum beneficio, ad ſclopi diſploſionem, ſeſe promouere volando poſſunt. Piſcatores neglecta omni tempeſtate bini & bini in nauicula piſcatoria, vix quatuor vlnas longa & vnam lata, conſident, & artem ſuam piſcatoriam mira dexteritate exercent.

Capvt XX.

De itinere ex Diu *ad* Chiauul.



Eracta in ciuitate *Diu* mercatura ſub veſperam 30. Octobris Anno 1580. nauem iterum conſcenderunt, *Chiauul* ciuitatem petituri. Poſtero autem die, cum ad primum terminum perueniſſent, qui nautis *Chugna* dicitur, curabant ibi tormenta ſua ad alteram nauis partem traduci, quod nauem mercibus quibuſdam in *Diu* exoneratam, in partem alteram propendere nimium cernerent. Occurrerunt autem ipſis paulo poſt tres naues armatæ, quæ plenis quidem velis ad eos contendebant, vt difficile non eſſet intelligere naues quidē piraticas, populumq; ex piratarū genere eſſe, qui *Malauari* dicuntur. Appropinquãtes autem ad nauem, cum ſibi inferiores forte mercatoribus noſtris viderentur, taciti prætererierunt, mercatores vero curſum ſuum cõtinuantes breui temporis ſpacio eouſque progreſſi ſunt, vt 1. Nouemb. die terram amplius nullam cõſpicerent, quod ipſis quidem mirum videbatur, cum ex eo loco *Golfi* iſtius, vſque ad *Chiauul* ciuitatem non amplius 18. *Lege* numerarentur, vbi alias propugnaculum Luſitanicum *Daman* videri ſolet. Dirigebant igitur curſum ſuum verſus meridiem, reſpicientesq; ad ſiniſtram, piſcem aliquem cernebant, qui magnitudine ſua ipſam nauem ſuperans duo cornua in capite præferebat, & modo dorſum modo ventrem oculis ipſorum obuertebat, quod mirum omnibus viſum eſt. *Piſces cornuti.*

Sub veſperam apparebat ipſis arx & ciuitas Luſitanica *Baſait*, *30. Lege* à *Diu*, & 10. à *Chiauul* diſtans, quam 2. Nouembris die aſſequentes paulo poſt ad oras *Bombain* veniebant, videntes ibi templum quoddam vetus Romanum, ſaxo inciſum, ſupra quod *Tamarindi* creſcebant; infra illud autem fluuius eſt, cuius profunditatem explorare hactenus nemo potuit. Templum hoc *Alephante* dictum, & multis imaginibus exornatum, veſpertilionum iam domus & habitatio eſt, diciturque ab Alexandro Magno olim in teſtimonium, quod ad loca illa ipſemet peruenerit, extructum fuiſſe. *Templum ab Alexandro Magno extructum.*

Progreſſi autem paulo poſt templum illud, propugnaculum & ciuitatem *Daman* conſpexerunt. Hæc ſub poteſtate Regis Luſitanici ſita lignis admodum abundat, itaq; multæ ibi naues & triremes ſubinde opera cuiuſdam *Dominici de Caſtel* Veneti, artificii huius extruendi naues peritiſſimi, parantur. Poſt meridiem cernebant nouem armatas naues, quæ ab inuicem ſeſe ſeparantes, curſum ad nauem ſuam recta dirigebant, verum vt appropinquantes viderent piratæ maiorem eam eſſe, quam quæ à ſe expugnaretur, aliam viam ingreſſi ſunt. Mercatores vero noſtri paulo poſt Inſulam *Mambonit*, turri admodum procera, quæ *Mambaira* vocatur, conſpicuã, & quatuor leucas in circumferentia habentem, aſſecuti ſunt. Erat autem ibi rupes admodum eleuata, & ob nucum Indicarum copiam viſu admodum delectabilis.

Cæterum cum non eſſet, quod in ciuitate iſta perficerent, applicantes ibi ad littus nauiculam minorem, quam naui ſuæ coniunctam ducebant, cum multis mercibus in vrbem, 4. tantum leucis ab iſto loco diſtantem, ablegabant, à piratis & prædonibus, quorum ibi paſſim aliqui cernebantur, ei non parum metuentes. Piratæ hi *Maluari* dicti, vt eo audacius pugnent, ſolent, antequam pugnam aggrediantur, herba quadam veſci, ea enim inebriati & dementati quaſi, poſthabito omni periculo, aduerſariis ſeſe immiſcent,

ſcent, in nauem, quam ſpoliare eſt animus, deſcendunt, eamque modis omnibus læſam bonis exuunt, & igne interdum, vbi armis parum valent, perdunt. Depræhédebant autem in regione iſta aliquot piſcatorum nauiculas, quatuor vlnas longas & vnam latas, quibus qui vtuntur piſcatores, nullam omnino tempeſtatem & periculum metuentes, ſecuri quocunque volunt nauigant, ligna enim duo tranſuerſim poſita ad paſſus longitudinem vtrinque prominentia nauiculas quaſi in æquilibrio continent, ne vel in hanc vel in illam nimium inclinantes partem, facilè à fluctibus ſubuertantur & mergantur.

CAPVT XXI.

Deſcriptio ciuitatis Chiauul.



CIVITAS *Chiauul* in patenti campo, ſub 19. poli gradu ſita, Luſitanis ſubiecta eſt. Portum habet muro firmiſſimo concluſum, quem Præfectus quidam Luſitanicus ab incurſu Æthiopici Regis *Zamalucco*, qui & ipſe ciuitatem aliquam vix ſeſqui leucarum itinere ab hac diſtantem tenet, tuetur. Eſt autem in ciuitate *Chiauul* celebre pannorum ſericorum, aromatum, & aliarum mercium emporium, nauibus ex China & Malacca eo cum mercibus variis frequenter confluentibus.

Vectigalis nomine vnum ſolummodo de centenis mercatores hic perſoluunt, idq; eum in finem, vt inde ciuitas, quæ à Rege *Zamalucco* multis modis deſolata & deformata ſuperioribus annis fuit, iterum reparetur. Rex enim ille, ex *Abdenegar* ciuitate, quæ 7. vel 8. dierum itinere à *Chiauul* diſtat, habitans, ingentem ducentorum millium exercitum contra ciuitatem hanc eduxerat, & tormentis eam ingentib. mirum in modum deformauerat, vnde paſſim globi ſaxei horrendæ magnitudinis ex ædificiorum muris in belli huius cum *Zamalucco* geſti recordationem, & ſignum, quod ab eo expugnari ciuitas non potuerit, prominent.

Ingens autem 22. Nouembris die tempeſtas extitit, ventis tanto impetu furentibus, vt turres paſſim deiicerentur, ædificia tectis nudarentur, muri diſſiparentur, & multæ nauiculæ, quibus commeatus in ciuitatem defertur, ſubmergerentur, panis enim, gallinarum, volucrum, carniumq; aliarum ſatis eo transvehitur, ſed vini parum admodum, vnde etiam care nimis venit. Tempeſtas illa eadem adhuc veſpera ceſſabat, itaq; mercatores noſtri cum merces ciuitati huic conuenientes vendidiſſent, & vectigal vſitatum, nempe vnum de centenis, perſoluiſſent, receptis in nauem, qui *Goam* cupiebãt, quinque Franciſcanis Monachis ex portu ſoluentes abierunt. Tempus autem, quod ex *Diu* ad hunc vſque locum *Chiauul* nauigando conſumpſerant, 6. dies erant, quibus non parum periculi à piratis & prædonib. ipſis obtigerat. Cæterum, quod hoc in loco de ponderibus, menſuris & monetis hoc in loco vſitatis nihil dicam, cauſa ea eſt, quod iiſdem ponderibus, monetis & menſuris, quarum in *Goa* vſus eſt, hic vtantur, de quibus quidem ſuo loco dicetur copioſius.

CAPVT XXII.

De itinere ex Chiauul *ciuitate* Goam *vſque.*



CONFECTIS in ciuitate *Chiauul* rebus omnibus ſub veſperam 4. Nouembr. Anno 1580. ex portu illo iterum ſoluentes curſum ſuum verſus auſtrum direxerunt, *Goam* ciuitatem petituri. Summo autem diluculo ſequentis diei ad propugnaculum

Dada

Dada. *Dada* venientes, cogebantur ibi propter ventum aduersum vsque ad meridiem subsistere. Post meridiem, cum iterum progrederentur, in nauem aliquam *Goam* similiter petentem incidebant, cognoscentes ex ea Regem *Dialcan* ante duos menses mortuum esse, illum vero, qui *Chiauul* oppugnatũ venerat, cum magno exercitu in mari submersum periisse. Poterant autem tum ex naui sua regionem *Daman Basait*, quæ Zingiberis ferax est, quam optimè cõtemplari. Vesperi *Safardon* assecuti progrediebantur tanta dexteritate, vt sequenti diluculo à *Dabul* ciuitate, vbi Zingiber etiam magna copia prouenit, non abesse sese longius viderent. Ciuitas hæc regia sedes est, à Rege in *Bul* habitata, qui Regi in *Dialcan* tributum annuum persoluit, vt defensionem sui contra Lusitanos suscipiat: Lusitani enim odio eum hactenus maximo prosecuti sunt, idq; propter cædem in eos perpetratam. Cum enim aliquando multos Lusitanos, qui tribus nauibus aduenerant, conuiuio excepisset, omnes trucidari iussit, vt præter nautas nemo effugerit.

Safardon. *Dabul.*

Sed vt ad iter nostrum reuertamur, mercatores nostri strenue progredientes peruenerant 7. Nouemb. ad oras *Sanchifer*, qui locus ab arboribus & herbis aliis aspectu pulcherrimus existit, occurrebant autem ei duæ naues, quæ ex *Goa* ciuitatem *Ormus* petituræ venerant. Circa vesperam autem cum non procul ab Insula *Mazzacan* abessent, cernebant ibi vndecim piratarum nauigia, deliberantium inuicem de oppugnanda hac naui, sed cum à tormentis & sclopis sibi metuerent, ab irruptione sibi temperabant. Interim mercatores sequenti die ad magnam Æthiopum ciuitatem *Carafata* appulerunt. Erant ibi adhuc quatuor naues piraticæ, itaque cum reliquæ vndecim etiam sequerentur, & cum hisce quatuor vires suas coniungerent, haud exiguum mercatoribus metum incusserunt. Sed cum tormentis & sclopis sese bene instructos scirent, iuxta littus paulatim incedentes, angulum *Zambara* sub vesperam, sequenti vero die angulum alium *Dandabasi*, duodecim saxis eleganter quasi munitum, assecuti sunt, ac tandem 10. Nouemb. ad *Giapora*, inde ad portum ciuitatis *Goa*, cum sex dies in itinere fuissent, appulerunt.

Mazzacan. *Carafata.*

CAPVT XXIII.

Descriptio ciuitatis Goa.

GOA ciuitas est, respectu Indicarum ciuitatum satis magna & pulchra, sub 6. poli gradu in Insula quadam sita, quæ in circumferentia sua 30. leucas continet, & pagis aliquot, hortisq; & arborib. pulcherrimis ornata cernitur. Est autem præcipua inter omnes, quas Lusitani per totam Indiam possident ciuitates, vnde & Vicerex seu Præfectus, qui locum Regis in Portugallia tenet, sedem ibi suã constituit. Regio autem ipsa, in qua ciuitas hæc sita est, Æthiopum Regem *Dialcan* Dominum agnoscit, qui sedem suã in vrbe *Bisapor*, quinq; dierum itinere à *Goa* distante, tenet. Viribus hic Rex & potentia tanta pollet, vt aliquando bellum cum Lusitanis gerens, plus quam ducẽta millia armatorum aduersus ciuitatem hanc produxerit, & obsidione eam 14. mensibus firmissima cinxerit, quam etiam certissimè expugnasset, si portus tanta profunditate esset, vt præsidiarias naues maiores admitteret. Munitur portus iste hodie fortissimo propugnaculo super collem ad latus eius extructo, estq; ab altera eius parte templum, quod *Remago* seu trium Regum vocant, itidem super collem siue monticulum aliquem extructum, quod monachi Franciscani hodie possident.

Multæ ibi negotiationes exercentur: Æthiopes enim cum quinque vel sex

sex onerariis nauibus ex Portugallia, ciuitatem *Cocchi* petentes, ad portum huius vrbis primum applicant, & negotiationes suas per mensem integrum ibi exercent, reuersiq; postmodum ex vrbe ista itidẽ per aliquot dies ibi cõmorantur. Hyemẽ habent in Maio, Iunio, Iulio & Augusto, nullum tamen frigus aut gelu animaduertunt, sed hyemem vocant ob ventorum & pluuiarum frequentiam, quibus æstus solis nimius inhibetur, & ita per diuinam prouidentiam moderatur, ne nimio feruore exsiccata terra hominibus pecoribusq; sustentationem suam deneget. Venti quidem toto isto tempore durant, & absque vlla intermissione dies noctesq; spirant, suntq; illi quos ex Portugallia in Indiam nauigaturi exoptant. Pluuia vero non continua est; sed remittens interdum; solis etiam radiis locum concedit, qui tum temporis tam vehementes & feruentes existunt, vt nemo eos perferre posset, ni & venti eos moderarentur; & terra aerq; ipsemet pluuiâ prius recreata & quodammodo refrigerata esset.

Habitant in hac Insula populi quidam, qui *Canarini* vocantur. Hi statuã quandam nudam, non quidẽ pro Deo sed pro idolo suo habent. Norunt enim Deum quendam esse, qui totum mundum & omnia, quę in eo sunt, gubernet, ideoq; hanc quidem statuam non vt Deum, sed vt idolum aliquod, eadem qua superstitiosi alii defunctos sanctos colunt & venerantur. Ex hisce populis, si quis filiam suam alicui in vxorem dare constituit, proficiscitur cum ea ad statuam hanc; quæ octodecim leucis ab vrbe distat, vt pro felici matrimonii successu ei prius supplicet votumque faciat, quæ peractis precibus, interfœmineum suum ad virgam statuæ ferream applicat, fortiq; commotione perrumpit, vt flos virginitatis idolo huic sacrificetur. Quod si puella tenerior dolorem reformidare videatur, eã applicare saltem membrum ad virgã statuæ iubetur, quo facto mater puellam à tergo appræhendens, commouet truditq;, donec virginitatem amisisse eam sentiat.

Canarini populi superstitiosi.

Inked out in BM copy-

CAPVT XXIV.

De ponderibus, mensuris, monetis & vectigalibus ciuitatis Goa.

PONDERA quibus in *Goa* vtuntur, & maxime *Cantara*, vocantur *Chintalli*. Habet autem *Chintal* vnum quinq; *Mano* & 8. *Rotoli*. Vnum *Mano* sunt 24. *Rotoli*, atque ita *Chintal* vnum sunt 128. *Rotoli*. Quodlibet autem *Rotolo* facit 16. vncias in *Goa*, vel 1½. libras Venetas; itaque *Chintal* vnum 192. libras Venetas minores constituit. Passim autem ad aromata & merces alias *Chintal* adhibent; præterquam in regno *Cinna* & *Galanga*, quibus in locis *Candili* in vsu sunt. Notandum autem est, in *Goa* duo *Candili* genera haberi, vnum enim 16. alterum vero 20. *Mano* constat, illud tria *Chintalli* facit, hoc autem tria *Chintalli* & tria *Rubbi*. Quodlibet autem *Chintal* quatuor *Rubbi* sunt, & quodlibet *Rubbi* sunt 32. *Rotoli*, vt ita *Chintal* integrum constituat 128. *Rotoli*.

Chintal.

Candil.

Habent præterea adhuc aliud ponderis genus, quod *Marco* nominant, continetq; in *Goa* octo vncias, quæ faciunt dimidium *Rotolo*, vel 9. vncias minores Venetas. Hoc pondus adhibent in emptione ambræ, coralliorum, argenti, auri, moschi, zibethi, & id genus aliarum mercium.

Marco.

Pondus quod *Mangielino* vocant, & non plus quinque granis Venetis continet, solummodo ad adamantes adhibent. In vendendis autem pyropis pondere alio, quod *Manno* ipsis vocatur, & duos tantum *Carratos* Venetos continet, vtuntur. Notandum autem præcipuè est, merces in hac ci-

Mangielino.

Manno.

 uitate

uitate nullo signo notari, & propterea diligenter attendendum esse, ne quis in emendo decipiatur, siquidem ne moschus quidem Tartaricus, quem bullis inclusum aduehunt, signatus cernitur, sed cum bullis ad trutinam appenditur.

Caudo. Mensuram, qua in *Goa* vtuntur, *Caudo* nominãt, & ad omnis generis pannos & liteamina adhibent, tantumq; illam, cuius in Babylonia & *Balsara* vsus est, superat, vt qui ibi centum mensuras emit, in *Goa* centum & septendecim cum septem octauis inueniat, exempli gratia, qui in prædictis locis tantum panni emit, vt centum ipsi *Pichi* sint, depræhendit in *Goa* se habere 117. *Covodi* cum septem octauis. Qui vero 100. *Covodi* ex *Ormus Goam* aduehit, non reperit ibi plus, quam 93½. *Covodi*, vt ita ex *Ormus* in *Goam* negotiationem exercentibus sex cum dimidio de centenis decedant. Sed & aliud mensuræ genus habent, quod *Vare* nominant, estq; idem cum eo, quod in *Ormus* etiam & alibi reperitur. *Vare.*

Nummi, quibus in *Goa* vtuntur ex stanno & plumbo, forma rotunda constant, ab vna facie sphæram, ab altera vero duas sagittas repræsentant, & nominantur *Basarucchi*. Horum 18. faciunt vnum *Ventinno* vulgaris monetæ. Quinque vero *Ventinni* vulgaris monetæ faciunt vnum *Tangha* monetæ melioris, quæ sunt monetæ vulgaris 60. *Basarucchi*, & 75. melioris. Cæterum *Tangha* vnum, si ad monetam Venetam conferas, valet 18. solidos, & quinque *Tanghe* constituunt, vnum *Serafinno* argenteum, quod in mercatura sunt quinque *Tangha* melioris monetæ. Qui vero in *Basarucchi* eam commutare vult, non plus reperiet, quam 5. *Tanghe*, & 16. *Basarucchi*, quod vocant *Serafagio*. Quando de *Pardai* aureis sermo habetur, intelliguntur 6. *Tanghe* monetæ melioris. Verum ad nullas merces *Pardai* aurei adhibentur, præterquam ad gemmas & equos: merces enim aliæ, vt & aromata, omnia *Serafinis* argenteis venduntur.

Basarucchi. *Ventinno.* *Tangha.* *Serafinno.* *Pardai.*

Pagodi. Habent vero & nũmos alios, quos *Pagodi* vocant. Hæc rotunda & crassa est, idolum aliquod exhibens. Huius monetæ duplex genus est, vetus & nouum, illud octo, hoc septem cum dimidio *Tangha* valet.

Regales argentei. Regales argentei siue dimidii Philippici constant de mandato Regis Portugalliæ 400. *Reis*. Quodlibet autem *Reis* valet vnum *Basaruccho*, & vnam eius quartam, quæ faciunt 6. *Tangha*. Quinquaginta autem *Basarucchi* constituunt vnum Regalem argenteum, cumque Regales hi ex optimo argento constent, per totam Indiam valent, maximè vero in *Malacca*, cum naues ex portu, quem *Monsonni* vocant, eo appellunt, tunc enim plus valent, quam alias, ita vt cum cẽtenis vel octodecim vel 20. vel 22. lucrari quis possit, quod ipsis *Serafagio* vocatur.

Serafinno. Cæterum *Serafinno* vnum de mandato Regis valet 300. *Reis*. Habent vero non solum Regales integros, sed etiam quartas eorum, *Patachine* ipsis dictas. Regales hi cum residuo suo nempe octo ad centum, faciunt $86\frac{1}{12}$. monetæ Venetæ vulgaris, alterius autem siue melioris, vnum *Tanghe*, & 56½. *Basarucchi*. Dimidium *Patachine* facit 65. *Basarucchi* & tres quartas, quæ idem sunt quod Regalis. Non est autem Regalis moneta constans & perpetua, sed pro ratione temporis crescit atq; decrescit, pretium tamen eius constitutum est 400. *Reis*, vt supra dictum. *Patachine.*

Zechin. Venetorum & Sultanorum aureorum *Zechin* pretium constitutum & legitimum sunt 9½. *Tangha* melioris monetæ, quæ faciunt 8. libras, & 18½. solidos Venetos. Non sunt autem hi *Zechini* constantes & perpetui. Cum enim naues ex *Goa* versus *Cocchi* nauigant, valent 9. *Tangha* & tres quartas, vel etiam

etiam decem interdum, cum monetarum, quæ in *Cocchi* habentur, optima ſit.

Pretium *Larini* eſt 93. *Baſarucchi* cum tribus quartis. Itaq; quatuor *Larini* faciunt vnum argenteum *Serafinno*, de 5. *Tanghe* monetæ melioris. Cumque naues verſus *Chiauul, Diu, Cambagia, Bengala, Daman*, & *Baſſain* nauigationem inſtituunt, de hac moneta ſibi proſpiciunt, plurimum enim lucrari ea illis in locis poſſunt, cum optima ibi habeatur. Aurei *Serafini* cuduntur in *Ormus* & in *Goa* quinque *Larinis* redimuntur, cum auro optimo conſtent, & propterea aurifabris quamplurimum expetantur. *Larini.*

Præterea moneta adhuc alia rotunda argentea vtuntur, quæ in facie vna crucem, in altera vero coronam exhibet, & dimidium *Tanghe* melioris monetæ valet. Sed & eiuſmodi typi alia, paulo minor ibi reperitur, cui *Rintinno* nomen eſt. Hæc monetis melioribus adnumerata 14. *Baſarucchi* cum tribus quartis valet. Vbi notandum, quod cum in negotiationibus minorum mentio fit, *Tanghe* melioris monetæ intelligantur. Cum autem tantum *Tanghe* nominantur, & nihil præterea additur, moneta vulgaris intelligatur. *Rintinno.*

Qui ligna, carbones, cœmentum, & id genus res alias emunt, *Braganinis* vtuntur, quorum vnus ſunt 24. *Baſarucchi*, cum alias *Braganini* moneta cuſa non ſit. Poſtremo reperitur ibi adhuc aliud genus *Tanghe* vulgaris monetæ, quorum vnum valet 50. *Baſarucchi*, & huius vſus eſt in emendis lignis. Quod ſi quis igitur pro 5. *Tanghe* ligna expetat, intelliguntur ſtatim 250. *Baſarucchi*, qui faciunt 3. *Tangha* melioris monetæ, & 25. *Baſarucchi*. *Braganini.*

Vectigal huius ciuitatis, quod tam de emptis quam de venditis bonis, quemadmodum etiam de acceptis & expenſis debetur, bes eſt, ſeu octo de centenis, vbi merces quidem ita taxantur, vt mercatores quod conquerantur nihil habeant. Naues quæ ex *Ormus* adueniunt, & equos nullos adferunt, de bonis omnibus beſſem præſtant, quæ à mercatoribus venum exponuntur, ſiue ea vendantur omnia ſiue ex parte tantum, quæ enim non venduntur, ea nauibus iterum inferre, & auehere licet. Idem vectigal præſtatur etiam de bonis ibi coemptis, qui vero decem equorum onus naui ſuæ imponit, tantum de expenſis, non vero de acceptis vectigal perſoluere tenetur. Quod ſi quis præſtito vectigali, dum merces ſuas venum exponit, animaduertat, minorari earum pretium, & tanti iam venire, quanti ipſe eas vendere nec poſſit nec velit, ei permittitur, bona ſua conuaſare rurſus, & alio quocunque velit nauigando transferre. Non enim tenetur de expenſis quicquam præſtare, quod alias fieri oporteret, ſi mercaturæ initium feciſſet, & partem aliquam bonorum iam diuendiſſet. Quod, ſi quis aromatum vel eorum bonorum, quæ ex *Malacca, China*, &c. proueniunt, in *Goa* aliquid mercari expetit, is, vbi cum Domino, cuius merces illæ ſunt, de pretio egerit, libere eas ad naues deferre, & quocunque vult, tranſportare poteſt, nec quicquam vectigalis perſoluere tenetur, niſi iterum eas diuendendi initium ibi fecerit. *Vectigal.*

Quod ad Æthiopes & Ethnicos, qui in *Goa* habitant, attinet, peregre quidem abire nemini eorum permittitur, niſi ſignum Luſitanicum in brachio impreſſum habeat, vt ex illo, vbi reuerſus fuerit, agnoſcatur. Hoc enim ſi quis negligat, pro incola ciuitatis amplius non habetur, nec in eam admittitur.

Caput XXV.

De itinere ex Goa *in* Cocchi.



Ercatores nostri, cum in *Goa* bona sua omnia diuendissent partim, partim cum coemptis aliis conuasata in nauem aliam, ad Alphonsum di Morais pertinentem, cui Sancto Sebastiano nomen erat, traduxissent, persoluto quod debebant vectigali 11. Aprilis die Anno 1582. ex portu illo soluentes abierunt; cursu igitur in austrum directo circa vesperam ad locum quendam, cui *Angiediua* nomen est; sequenti vero die ad *Betacala* peruenerunt, qui locus in Insula quadam montem complectitur, in cuius iugo siue vertice fons est, aquam dulcissimam profundens.

Angiediua.

Progressi autem 14. Aprilis, non procul à *Dedali* Insula frequentibus populis habitata abesse se depræhendebant. Cumq; sequenti die, relicto post se propugnaculo *Onor*, quod in regione Reginæ *Betacala*, quæ Regi *Bezeneger* tributaria est, cernitur, ad ciuitatem *Cananor* appulissent, & iam dies parasceues Paschatos adesset, proiecta anchora signum incolis displosione tormenti dabant, qui audientes peregrinos adesse hospites, quatuor statim nauigia illos allatum ablegarunt. Descendens igitur in vnum *Ioannes Maria Daleffe* cum viginti millibus ducatis, quos in *Larinis* habebat, emptum piper in vrbem nauigauit.

Dedali. *Onor.* *Cananor.*

Caput XXVI.

Descriptio ciuitatis Cananor.



Ciuitas *Cananor* potentissimum Regem Dominum agnoscit, qui se ab hac ipsa ciuitate Regē *Cananor* vocat. Hostis est Lusitanorū iuratus, & in alia ciuitate vix ad bombardæ iactū ab hac distante habitat. Ciuitas multis palmis abundat, quæ arbores omniū quotquot in mūdo sunt vtilissimæ habētur. Fructus earū nuces sunt, lignū ipsum extruendis nauib. conuenientissimū est. Ex foliis carbasa & vela nauium parantur. Nuces simul, saccharū, vinum & acetum præbent. Truncus si perforetur succum exhibet, instar aquę tenuem & album, ex quo incolæ vuis passis admixtis potum suauissimum conficiunt. Nucum putamina oleum præbent, ex cortice vero arboris funes parantur, qui robore suo etiam cannabinos nostros superant. Rami parandis pulcherrimis cistulis; folia storeis siue mattis; cortex vero ramorum tenerior obturandis nauium rimulis conueniunt, vt ita nihil in tota arbore sit, quod vsum nullum præbeat, & abiici possit, præter radicem.

Cum Præfectus vel Nauarchus potius ad nauem reuersus esset, mercatores statim 16. Aprilis die portu soluentes progressi sunt. Postero autem die, cum *Calecutum* assequerentur, cuius loci Rex iuratus Lusitanorum hostis est, non parum ipsis periculi à piratis, quos Æthiopes ex *Cauapuzza* vocant, imminebat. Post horam tamen vnam atque alteram liberati, angulum siue extremitatem propugnaculi *Cananor*, quod in regione Regis *Cranegenor* situm, à Lusitanis possidetur, assequebantur. Propugnaculum hoc in littore maris excitatum, Regi istius loci valde infensum est, facitq; vt Lusitanis irascatur Rex, siue non, susque deq; ferant, siquidem dominium maris ad se iam pertraxerint, propugnaculum non solum, sed & portum ipsum tenentes, & ad Regem nihil nisi ꝙ sibi videatur transmittentes. Cęterū non

procul

procul à *Cocchi* abest, itaque statim à meridie portum eius assecuti sunt, inuenientes ibi minora aliquot populorum, qui *Balloni* vocantur, nauigia, quæ ex vnico excauato ligno parata, multis vtrinque foraminibus pertusa, vt pisces in eis viuere possint.

CAPVT XXVII.

Descriptio ciuitatis Cocchi.



CIVITAS *Cocchi* sub 10. poli gradu, Septentrionem versus sita, mare habet ad occidentem, versus austrum autem angulum quatuor leucarum facit, syluã habet crassissimis arboribus consitam, ex quibus excauatis nauigia parant, ipsis *Almedie* dicta, quibus ad *Goam* vsque excurrere nauigando possunt. Portum habet saxis & latentibus offendiculis adeo impeditum, vt naues vix admittat, vnde etiam hyberno tempore plane clauditur, ne peregrini nauibus suis intrare conantes perniciem sibi attrahant, cùm venti eo tempore ab occasu furentes, fluctus ibi non solum maximos excitent, sed & nubes densissimas cogant, quæ postmodum in aquam resolutæ magno cum impetu ex montibus illis in portum proruunt, sabuli arenarumq; non parum secum vehentes.

Cæterum ciuitas hæc post *Goam* prima est, quam Lusitani in India tenent, magna aromatum & aliorum bonorum commercia exercet, & multum piperis in territorio suo producit, quod quidem certa pecuniæ summa Regi Portugalliæ, multo autem maiori precio Æthiopibus venditur. Sunt autem duæ in hoc regno ciuitates huius nominis, hæc, quæ Lusitanorum est, & altera, quæ ad Regem *Cocchi* fratrem nimirum Portugalliæ Regis pertinens, littori magni cuiusdam fluminis adiacet, qui quidem Rex tam potens est, vt breui temporis spatio centum millia peditum, cum innumera nobilium, (qui ipsis *Nairi* dicuntur) equis & Elephantibus vtentium multitudine colligere & in acie producere possit. Incolæ huius loci tam fœminæ quàm mares, à vertice ad vmbilicum vsq;, quemadmodum & pedibus nudi incedunt, & viris quidem mos est, vt si fortè ad mulierem aliquã ingrediantur, arma sua cum clypeo ad ianuam domus illius collocent, quamdiu enim ea ibi visuntur, nemini domum istam ingredi licet.

Vxorem ducturus, siue Rex siue alius quicunque ex subditis eius, primus cum ea nõ dormit, sed virginitatem vxoris cuidã ex Sacrificulis, qui *Bramini* ipsis dicuntur, largitur. Hi enim libertatem habent ædes quascunq; ingrediendi, & cum vxoribus tam Regis ipsius quàm aliorum quorumcunq; pro libitu suo conuersandi, ita quidem, vt & mariti & fratres mulierum, aduenientibus Sacrificulis cedant, locumq; cum vxoribus colludẽdi relinquant, habentes eos pro viris sanctissimis, qui in lege vxores & filias suas erudire quàm optimè possint. Vnde nõ solum domo libenter sub eorum aduentum exeunt, sed etiam sibi de dignitate hac ex animo gratulantur, eamq; vicinis & amicis suis gaudio prædicant.

Mortuo Rege, neminem ex ipsius filiis honore successionis dignantur, sed sororis eius filium in Regem eligunt, propterea quod nemo certo scire queat, an, à quib. pater salutatur, verè filii sui sint. Cùm autem sororem Regis ex Regia prosapia esse sciant, posse se errare statuunt, si filium eius, vtpote regia natum prosapia, in Regem assumant.

Mulieres magno sibi decori putant, si aures habeant turpiter perforatas. Nam in auricula infima, quam nostri etiam interdum perforare solent, rimam siue fissuram faciunt, plumbumq; ei inserunt, quod pondere suo au-

riculam ita extendit, vt ad humeros vſque promineat tanto foramine, vt vel brachium traiicere poſſis, quæ quidem deformatio oculis ipſorum ita arridet, vt viri etiam eam adhibere vulgo cernantur. Nobiles autem, qui *Narini* dicuntur, vt præ aliis dignoſcantur, armillas geſtant & comas eleganter componunt, qui quidem ornatus ipſarum maximus eſt, cui in viris accedit, quod clypeum, euaginatumque in manu ſemper gladium teneant, eumque incedentes quaſi concutiant vibrentque, quaſi pugnam ſemper ſitientes & expetentes.

Capvt XXVIII.

De ponderibus, menſuris, monetis & vectigalibus, in ciuitate Cocchi *vſitatis.*

Chintal. PONDERA huius ciuitatis, quę bonis omnibus adhibentur, *Chintal* ſunt. Quodlibet autem *Chintal* continet 5. *Mano*, & 8. *Rotoli*. Quodlibet *Mano* ſunt 24. *Rotoli*, itaq; quodlibet *Chintal* valet 128. *Rotoli*, & *Rotolo* quodlibet 16. vncias. Pondera enim in *Cocchi* & *Goa* ſunt vniuſmodi.

Bari autem non ſunt vniuſmodi ſed multorum generum, pro diuerſitate bonorum, quibus adhibentur, ſolentq; contrahentes nominatim exprimere, qualia *Baro* intelligant, cum quædam tribus, quædam tribus cum dimidio, quædam etiam quatuor *Cantaris* conſtent. Quodlibet autem *Cantaro* ſunt 4. *Rubbi*, & quodlibet *Rubbo* valet 32. *Rotoli*, vt ita *Chintal* quodlibet præcisè 128. *Rotolis* conſtet.

Nummi huius ciuitatis ſunt *Covodi* & *Vare*, illis quæ in *Goa* etiam reperiuntur per omnia ſimiles. In vendendis coralliis & aliis id genus mercib. *Marco* vtuntur. Gemmæ autē, margaritæ & adamantes, peculiaria ſua pondera, quæ *Mangielini* ipſis dicuntur, habent, & in vendendis pyropis *Fanno* vtuntur. Sed & monetas alias cum illis, qui in *Goa* ſunt, communes habent, ſuntq; vtrobique vnius valoris & pretii. Veneti vero *Zechini* valent 10. *Tanghe* melioris monetæ. *Seraſinni* valent de mandato Regis Portugalliæ 300. *Reis*, quæ faciunt 5. *Tanghe* melioris monetæ. Regales argentei valent 400. *Reis*, quę faciunt 6. *Tanghè* & 50. *Baſarucchi*, quemadmodum & in *Goa*. *Vintinni* ipſorum argentei cuduntur in Luſitania, quemadmodum & *Sadini*, itaque ſignum Luſitanicum referunt. Valent autem 20. *Reis*, quæ faciunt 25. *Baſarucchi*. Huiuſmodi *Vintinni* quinque faciunt vnum *Teſton* Luſitanicum, quorum ſingula vnum *Tangha* & 50. *Baſarucchi* melioris monetæ valent, quæ in moneta Veneta 31. ſolidos conſtituunt. Tria *Teſton* faciunt vnum *Seraſinni* argenteum 5. *Tangha* melioris monetæ continentem, vt ita *Teſton* de mandato Regis Portugalliæ 100. *Reis* valeat.

Aurei *Pagodi* recentiores valent 7½. *Tangha* melioris monetæ, veteres vero octo. *Larini* certum pretium non habent, quamuis quinq; *Tangha* melioris monetæ ipſis initio aſſignata fuerint. Moneta illa maior aurea Luſitanica, vna facie crucem, altera vero inſignia Portugallica referens, valebat ante hæc tempora 10. *Cruciatti*, iam autem raro conſpicitur, & valet 14. *Cruciatti*, vel etiam amplius, *Cruciatto* autem vnus valet 7. *Tangha* melioris monetæ, quæ faciunt 19. *Seraſinni*, & 3. *Tangha* monetæ melioris.

Vectigal bonorum acceptorum & expenſorum, bes eſt. Octo enim de centenis omnes, qui in matrimonio non viuunt, perſoluere coguntur. Qui vero matrimonium in *Cocchi* contraxerunt, primis tribus annis trientem tantum, ſiue quatuor de centenis vectigalis nomine præſtant, quod vectigal qui-

gal quidem ad Regem in *Cocchi* pertinet, cui omnes, qui in *Cocchi* habitare & matrimonium contrahere cupiunt, *Serafinno* vnum pro corpore suo persoluere coguntur.

Capvt XXIX.

De itinere ex Cocchi *in* Silon.



ERSOLVTO in *Cocchi* vectigali, 25. Aprilis Anno 1582. nauem iterum conscendentes, cursum suum versus austrum direxerunt, cumque ventis melioribus vterentur; sequenti statim die ad locum *Calacolon*, & sub vesperam in *Silon* peruenerunt, vbi cum viros aliquot, equosq;, quos pro certa mercede ad hunc locum ex *Cocchi* deduxerant, exposuissent, continuata statim velificatione abierunt.

Capvt XXX.

Descriptio ciuitatis Silon, *& itineris continuatio.*



IVITAS *Silon* sub Lusitanorum dominio in campo patenti & viridi sita est, austrū spectans, & portum habens elegātissimum. Nullam autem ibi moram nectebant mercatores nostri, sed 27. statim die progredientes cursum suum versus Insulam *Seilan* dirigebant, regione *Camerino* in finibus Indiæ extremis relicta. Insula hæc in circumferentia sua 900. leucas complectitur, Septentrionem versus spectat, portumq; pulcherrimum habet, dominio Lusitanorum subdita. Rex enim eius legitimus & naturalis in ciuitatem *Columbo* secessit, quæ licet ipsamet etiam Regem Portugalliæ Dominum agnoscat, permittitur tamen ei, vt tanquam Præfectus sedem ibi suam habeat, cum baptismum admiserit, & ad Christianam religionem se conuerterit.

Crescit in hac Insula Cinnamum magna copia, idq; in arboribus tenerrimis, quæ non assurgunt à terra longius, & folia habent lauris similia. Colligitur autem cinnamum duobus tantum mensibus, nempe in Martio & Aprili, ita vt dissectus vndique in internodiis cortex à stipite & ramis magna dexteritate liberetur, & soli desiccandus exponatur; à quo postmodum ita contrahitur, vt studio quasi conuolutus videatur. Cæterum arbores etiamsi cortice suo vndique nudentur & exuantur, non tamen propterea inarescunt & moriuntur, sed nouum statim corticem agere incipiunt, vt sequenti anno elegantiori cortice vestitæ cernantur. Quo enim sæpius arbores istæ putantur & cortice liberantur, eò corticem teneriorem & præstantiorem gignunt atque producunt, quo vero corticem suum diutius retinent, eo crassiorem eum & viliorem suppeditant. Præter cinnamum vero etiam piperis, zingiberis, nucum myristicarum & aliorum aromatum, vt de Crystallo, gemmis & metallis variis, vtpote de auro, argento, ferro, chalybe, &c. nihil dicam, ferax hæc Insula est, & nihil, quod ad sustentationem animantium pertinet, deesse ei videtur. *Cinnamum vbi crescat, & quomodo colligatur.*

Cæterum mercatores nostri ventis secundioribus vsi cursum suum in austrum direxerunt, & 28. Aprilis, quam primum sol oriretur, sese ad oras *Comerin* in finibus Indiæ versari viderunt. Itaq; vt terram istam vitarent versus occasum nonnihil nauem dirigentes, triduum integrum nauigarunt, vt terra ipsis nulla appareret. Tandem primo Maii aperiebat sese ipsis angulus *di Galbo* transeuntibus nautis admodum periculosus, itaq; pro euitando eo ortum versus velificationem direxerunt. Secundo Maii cernebant terram,

ram, quam inferiorem *Seilan* vocant, vbi idolum aliquod seu statua cuprea, in loco quodam eminentiori erecta & ita disposita est, vt austrum versus respiciat, & ad 10. leucas videri possit. Locus hic sanctus vulgo habetur, itaq; vndiq; eo homines confluunt, & sacrificium statuæ huic offerunt, aquam ex longè dissitis locis afferentes, qua pedes eius lauent.

Sequenti octauo die, cum vento vsi vario Insulam *Seilan* superassent, ad aliam delati sunt Insulam, cui *Vacca* nomen est, viderunt autem ibi statuam aliam, *Pagodo de Chini* dictam, quam nautæ referebant ex *China* allatã quondam, & hoc in loco erectam esse, quod quidem & nomẽ innuere videbatur. Inuocatur autem à nautis, vt terram eo citius eos contingere faciat. Itaque mercatores velificationem Septentrionem versus, vt angulum *Chiaramandello* assequerentur, direxerunt. Qui ad clauum sedebat, nunquam in his oris fuerat, nihilominus tamen nauem, habita tantum ad eleuationem loci ratione, ita gubernare poterat, vt nihil aberraret, sed vbi essent præcisè indicare mercatoribus posset. Accidit autem, vt cum aliqui de naui prospicientes, aquam albescere aliquo modo & herbas secum vehere viderent, itaque admonitus hac de re Nauarchus profunditatem statim tentare cœpit, cumq; 12. primo, postea 10. & mox tantum sex orgyarum eam depræhendisset, proiecta statim anchora, cursum nauis inhibuit, periculum aliquod subesse ratus, licet terram vndique nullam viderent. Substiterunt autem per noctem ibi, conuersaque postero die naui, eo quo aduenerant itinere regressi, cum 30. iam orgyarum profunditatem depræhendissent, Septentrionem versus velificationem instituerunt.

Sequenti die regionem humilem & depressam viderunt, quæ solo candido existens septem *Pagodi* de *Chini* vocabatur. *Chini* enim siue Chinenses olim cum aliquot nauigiis nauigationem hac fecerant, quę ipsis *Chionchi* dicuntur, estque genus nauium eiusmodi, quod carbasis ex arundinibus contextis vtitur, clauos duos in puppi, & vnum in prora nostratiũ quidem clauis similes, sed ex eadem cum carbasis materia constantes habet, nihilque à tempestatibus periculi timet, solent enim Chinenses cum nauigiis hisce vsque ad *Giappone* & *Molucca*, vbi caryophyllorum, itemque ad *Chiaua*, vbi nucum myristicarum prouentus maximus est, excurrere, indeque magna copia ad Sanctum Thomam & loca alia merces & aromata ista transportare.

Cæterum locus hic, quem septem *Pagodi* vocant, à Chinensibus tali occasione excitatus est. Cum terram quãdam humilẽ & depressam inter nauigandũ inuenirent, q̃ ipsis adhuc incognita erat, *Pagodi* statim eo in loco seu templũ aliquod statuentes tanta altitudine & proceritate excitabant, vt ad aliquot miliaria videretur, & nauigantes inde, quonam in loco versarentur, colligere commodè possent. Adhibuerunt autem ad structuram huiusmodi firmissimos quosq; lapides, qui duritie & firmitate sua vel ipsum marmor superant, & colore sunt cæruleo. Eos ex *China* longo admodum itinere nauigiis suis ad locum hunc detulerunt, vt non solum ex nautarum relatione, sed & inde constabat, quod nec in India, nec in regno *Pegu*, nec vllo alio in loco similes mercatoribus nostris visi sint. Et quidem ex populis ibi adhuc habitantib. cognitum est, Chinenses olim loca illa omnia occupasse & tenuisse, donec belli, q̃ Rex in *China* ipsemet excitarit, iniuria, alterius potestati cesserint, Rege vt inferiorem se vidit in *Chinam* rursus cum suis concedente, & loca hæc aliis possidenda relinquente, in cuius rei memoriam templa ibi adhuc conseruata, nominis hoc acceperunt, quod *Pagodi de Chini*, hoc est, templa Chinensium vocentur. Cæterum ab hoc loco septem

Pagodi

Pagodi iterum progressi, nouem dies nauigando consumpserunt, donec ciuitatem *Negapatan* tandem assequerentur.

CAPVT XXXI.

Descriptio ciuitatis Negapatan.



NEGAPATAN ciuitas admodum populosa est, ad Lusitanos pertinens, sub 9. gradu & duabus tertiis versus meridiem sita. Incolas habet Lusitanos, Ethnicos & Æthiopes, nec ita pridem insigni propugnaculo, cui *Ragiu* nomen est, à Lusitanis munita, ad præcauendam seditionem & tumultus à Rege *Negapatan* excitari solitos, qui in continenti eius regionis habitans, amicus quidem Lusitanorũ videri vult, sed defectionẽ tamẽ ab illis haud raro molitus est. Nulla ibi præterquam pannorum gossypinorum commercia exercentur. Multa ibi templa, & inter alia etiam monasterium ordinis S. Francisci visitur. Hostem habet Dominum regionis cuiusdã, quã *Naich* vocant, cuius experiri insidias haud raro solet. Regio hæc oryzã tãta copia profert, vt incolæ suis nauigiis eam ad alia etiam loca transportare soleant. Nauigia autem ista vocantur *Gatameroni*, similia sunt ratibus Venetis: ex septem enim rotundis lignis constant, quæ ita inter se colligata sunt, vt quinque media fundum constituant, & alterum altero semper longius existat, maximè vero intermedium, quod tam in anteriori quam in posteriori parte nonnihil incuruatum est & eleuatum, vt sedem gubernatori præbeat, qui lignum aliquod oblongum manu tenet, cuius extremitati asseris segmentum affixum est. Nautæ nudi incedunt, subligaculo pudenda tegentes, & pileolum stramineum, coni instar eleuatum margineq; carentem capiti imponentes. Nauiculæ vero, quæ deuehendis & reuehendis ad naues maiores mercibus inseruiunt, non sunt vniusmodi, sed variæ, ex rotundis tamen lignis composita & funiculis colligatæ, habentes ab vtroque latere remos quatuor, quibus impellantur.

Ciuitas ipsa rebus necessariis omnibus abundat, pane tamen destituitur, cum frumentum, vnde ille conficiatur, regio ista nullũ ferat, vt oryza contenti esse homines cogantur. Moneta vtuntur aurea, diciturque ipsis *Fanno*. Inter alia autem, quæ mercatores hoc in loco notatu digna viderunt, hoc est; quamprimum naui descendissent, foueam quandam viderunt, ardentibus prunis repletam, adueniebant autem quidam iuuenculam quandam mulierem in sella sedẽtem gestantes, quam longo ordine & magna festiuitate mulieres aliæ comitabantur. Iuuencula illa manu altera speculum, altera vero malum aureum tenebat, variisq; gesticulationibus se oblectabat. Ad foueam autem vt peruentum, mulier illa consurgens, canendo & saltando horam vnam atque alteram exegit, postmodo deposito vestitu & ornatu suo, eoque inter amicos variè distributo, linteo sese inuoluit coniectoque in ignem ligno Paradisi & rebus ad suffitum idoneis aliis, præcipitem se in foueam dedit, ita vt prona in prunas decidens; quasi somno sopita, non moueretur amplius. Hoc facto quæ astabant mulieres, ipsi congratulantes, ligna Paradisi & res bene olentes alias in foueam abiecerunt, iuuencula vero ipsa ita exstincta, & igne absumpta periit. Mercatores igitur nostri, qualis hæc cõsuetudo esset, interrogantes cognouerunt, fieri hoc ab illis solere, qui amicum aliquem præ cæteris sibi charum per mortem amiserunt, viduis vero lege iniunctum esse, ne forte mulieres maritis, quorum *Mulieres sese in ignẽ præcipitantes.*

ſacietas eas cœpit, inſidias ſtruant, cum ſciant mortuo marito ſibi etiam neceſſario moriendū eſſe. Rege eius loci, vel viro præ cæteris primario, morte extincto, omnes mulieres quotquot in aula eius reperiuntur, hac ſibi ratione mortem conſciſcere ſolent.

Mira ſuperſtitio. Eſt in hac ciuitate currus quidam octo rotis inſiſtens, auro vndique obductus & mirum in modum eleuatus, in cuius ſummitate reſidet idolum aliquod cupreum inauratum, quod incolæ eius loci *Pagodo* vocant. Currus autem multis gradibus ſiue ſubſelliis conſpicuus eſt, in quibus viri quidem ſedent, qui *Gioghi* ipſis dicuntur & Sacrificulorum loco habētur, quod idoli huius curam agant, vnde etiam ſuſtentationem ſuam accipiunt. Sed & meretriculæ aliquot currui huic inſident, quæ corpore ſuo quæſtum facientes, quicquid præter ſuſtentationem ſuam lucrantur idolo huic offerunt, vnde meretrices *Pagodi* vulgo nominantur. Vtriq; autem tam Sacrificuli quā meretriculæ à parentibus ſuis ex nimio pietatis zelo à primis incunabulis idolo huic deſtinantur & ſacrificantur, cumq; adoleuerint non ſolum libidinibus ſeſe impunè polluunt, ſed & hominibus aliis incitamento ſunt, vt ſobolem ſuam idolo huic largiantur. Iuxta currum hunc primarii quiq; pedites incedunt, cumq; a nullo iumento ſed ab hominibus tantum protrahatur, quilibet ex nimio pietatis feruore funes apprehendere ſatagit, beatum ſeſe prædicans, ſi vel currum protrahere vel funiculum ſaltem cōtingere ſibi detur: nam quo feſtum ſolemnius eſt, eo præſtātiores ad currum hunc protrahendum adhibentur, eſtq; tum feruor in populo tantus, vt vel in viam ſeſe proſternant, & currum hunc per corpus ſuum traduci patiantur.

Cultus hic idololatricus infinitis vrbem hanc meretriculis impleuit: nam vt alias non dicam, locus in vrbe hac peculiariter à conuerſatione honeſta diſcretus eſt, vbi plus quam quadringētas habitare meretrices videas, quæ quæſtus ſui meretricei partem idolo huic largiuntur, edoctæ nimirum ita à parentibus ſuis, & à pueritia ita aſſuefactæ, vt idolo huic gratiſſimum iſtum cultum præſtent. Cæterum nobiles huius ciuitatis & dignitate diuitiisq; præ cæteris pollentes, Franciſcanis monachis ſuſtentationem ſuam præbent, quemadmodum etiam illis, qui ad Sanctum Thomam reperiuntur, idque ex amore, quo Luſitanos complectuntur maximo.

CAPVT XXXII.

De monetis & vectigalibus in ciuitate Negapatan *vſitatis.*



ONETA qua in hac ciuitate vtuntur aurea eſt, ipſis *Fanno* dicta, forma rotunda & lata, literas aliquot, ſiue ſcripturam ex altera parte referens: cuduntur autē ex viliori auro, valentq; decem ſolidos monetæ Venetæ, & eorum 17. cum vna quarta *Zechinum* Venetum conſtituunt. *Larin* vnus ſunt 122. *Baſarucchi* Vnum vero *Fanno* ſunt 45. *Baſarucchi*, qui forma quidem rotunda ex cupro conſtant. *Pagodi* ex auro duplices ſunt, veteres, quorum vnus valet 16. *Fanno*, & recentiores, qui 15. *Fanno* valent. *Zechinus* vero Venetus valet 17. *Fanno*, quæ quidem præſtantiores illis ſunt, de quibus ſupra dixi: nam in vtroq; latere caput humanum cum humeris ad pectus vſque reſectum exhibent, latitudine ſua ſolidum Venetum æquant, ſed tanta craſſitie, vt *Zechino* Veneto in pondere æquiparentur.

Pro mercibus & bonis, quæ inferuntur in ciuitatem, vectigal nullum ſoluitur, pro illis vero, quæ ciuitate efferuntur, triens, hoc eſt, quatuor de centenis præſtare mercatores coguntur. Quod ſi autem quis merces ſuas extra ciuitatem diſtrahere & vendere poſſit, ab eo nihil omnino exigitur. Omnes

autem

autem, qui aliquid ibi ementes ad alia loca transferre volunt, trientem siue quatuor de centenis persoluere tenentur, quod quidem vectigal pro Ethnicis, non vero pro Lusitanis colligitur.

Caput XXXIII.

De itinere ex Negapatan *ad Sanctum Thomam.*

Rebus in *Negapatan* perfectis omnibus, cum persoluto vectigali ad iter sese iam parassent, duplex adhuc periculum, antequam ex portu soluerent, experiri cogebãtur. Principio enim ignis in nauem aliquam studio coniectus ita flagrare cœpit, vt ingentem scintillarum vim hinc inde spargeret, illę vero à vento tãta vehementia ad nauem mercatorum nostrorum propellebantur, vt eam vix ab incendio conseruare possent. Mox vero, vt periculum hoc cessauit, ventorum & procellarum vis tanta in portum ingruit, vt aliter non putarent, quã & suam & reliquas naues omnes iamiam subuersum iri. Liberati igitur tandem hisce periculis, 19. Maii ex portu illo soluentes, pro euitandis, quibus tractus ille abundat, offendiculis cursum suum Septentrionem versus direxerunt. Habebant autem in itinere sibi obuios multos piscatores, qui capiendis piscibus, quibus cum oryza vulgo vescuntur, operam dabant. Postero die, cum totam noctem nauigando traduxissent, fines regionis, quam septem *Pagodi* vocant, assecuti sunt. Conspiciuntur ibi colles octo, qui non vltra 7. leucas à Sancto Thoma absunt, itaque ad ciuitatem hanc 30. Maii, cum trium tormentorum displosione eam primo salutassent, circa meridiem appulerunt.

Caput XXXIV.

Descriptio ciuitatis Sanctæ Thomæ.

Ciuitas hæc nomen suum accepit à reliquiis Apostoli Thomæ, quæ à Pontificiis ibi magna cura & diligentia asseruari dicuntur. Sita est sub 13. gradu, anteriore sui parte Orientem respiciens, & tormentis super portas dispositis admodum munita est, quę quidem portæ tam humiles sunt, vt vix equos, ne elephantes dicã, admittant.

Tribus primariis templis insignita ciuitas est. Primum vocatur ad S. Thomam, estq; longe pulcherrimum, & à Capitularib. quibusdam, quorum superior Vicarius est ab Episcopo in *Goa* habitante, constitutus tenetur. Alterum ad Sanctum Franciscum vocatur, & à monachis Cappucinis possidetur. Tertium Sancti Ioannis Baptistæ, Paulini quidam & Iesuitæ obtinent. Cęterum templum hoc eo ipso, quo mercatores nostri ibi versabãtur, tempore absolutum lacunari siue tigno carebat, & propterea tecto stramineo cooperiebatur. Accidit autem vt ingens lignum in formam tigni fabrefactum, à fluctibus maris mirabili modo in ipsum portum propelleretur: itaq; cum ea longitudine & robore esset, vt à capite ad calcem tecti pertingeret, & quasi summo studio ad hunc vsum destinatum videretur, eo secundum longitudinem aliquoties dissecto, & ad tectum adhibito, templum tandem absolutũ est. Dum autem dissecando huic ligno operam darent, tantus fœtor, quem ab aqua marina lignum hoc contraxerat, narib. astantium est obiectus, vt moram ibi nectere diu nemo posset, quod ipsum quidem argumento erat, longo iam tempore lignum hoc in mari oberrasse & vel ex longinquis locis ad hunc portum à fluctib. delatum esse. Itaq; multi etiam ex infidelib. veritate rei perspecta, Christianã religionem amplexi sunt & sese baptizari curarunt.

 Cæterum

Cæterum qui ex ordine Paulinorũ ſunt,aliud adhuc in ciuitate iſta templum habent,quod ad Sanctam Mariam vocant, vbi infideles,qui ad Chriſtianam religionem acceſſuri ſunt,erudire & baptizare ſolent. Extra ciuitatem templum adhuc aliud eſt Luciæ ſacrum, quod à Canonicis ordinis S.Thomæ poſſidetur,& aliud,quod ad Mariam de Monte vocant,itemque adhuc aliud ad Sanctam Crucem. Sed & in ciuitate monaſterium eſt,quod à Miſericordia nomen habet,& aliud ad Sanctum Lazarum,prętereaq; tria alia, quæ à monachis habitantur & frequentantur.

Ciuitas ipſa pulchritudine ſua omnes eius regionis alias ſuperat,habetque ædificia optimo ordine diſpoſita, vt plateas pulcherrimas conſtituant. Dum mercatores noſtri in ciuitate hac conuerſarentur, tumultus quidam 20. Iunii die ab infidelibus excitatus eſt. Ethnici enim exteri conceptum ſuum aduerſus ciuitatem odium in actum producere volentes de nocte ſurgebant, factoq; ingenti concurſu ignem hinc inde in ædificia proiiciebant ciuitatem perdere omnino volentes. Erantque Ethnici hi alterius cuiuſdam ciuitatis,quæ miliari integro ab hac diſtans firmiſſimo muro vndique cincta & munita eſt. Præfectus iſtius ciuitatis *Adicario* nomine, vir tantæ auctoritatis eſt,vt multis ſemper ſclopetariis ſtipatus ingrediatur, qui toto quidem corpore,pudendis ſolum exceptis,nudi incedunt,& ſclopos bombardasq; in humeris geſtant. Hi igitur, vt dictum, 20. Iunii nocturno tempore ad ciuitatem Sancti Thomæ progreſſi,eam cum omnibus incolis ſubuertere nitebantur. Ciues vero improuiſo hoc incendio viſo, Luſitanorum ſtatim auxiliũ implorabant,quorum Præfectus,quem ipſi *Diegopuſogna* vocant, campanas ſtatim pulſari iuſſit, vt omnes per ciuitatem excitarentur. Expergefacti igitur hoc tumultu etiam mercatores noſtri cum cateruatim ad forum properare incolas viderent,interrogabant,quid fieri in eiuſmodi tumultu oporteret? Cumq; cognouiſſent,oportere quẽlibet audito campanæ ſono,quem ipſi *Sino* vocãt,arma ſua capere,& auxiliũ periclitanti Reipubl.ferre, ni ab omnibus pro *Patiſo* ſiue homine nihil & abiecto haberi velit,ipſi appræhenſis ſtatim bombardis,clypeisq; & gladiis ſuis,(hæc enim arma ſunt, quibus in India vti militantes ſolent) ad Miſericordiæ templum, iuxta quod Præfectus habitabat,ſeſe receperunt. Cumq; omnes Proceres Luſitanicos quotquot in ciuitate iſta habitant, congregatos ibi viderent, obtulerunt ipſis promptiſſimam ſuam in defendenda ciuitate operam. Erat ipſis hęc mercatorum noſtrorum promptitudo gratiſſima, neſciebantque quomodo eam prædicare ſatis deberent. Imprimis autem gratias ipſis agebant maximas,quod ad ſonum campanę tam cito armati comparuiſſent,& ciuitatem iuuare parati eſſent.

Cæterum hoſtes cum animaduerterent, Luſitanos iam in procinctu ſtare, & ad perſequendum ſeſe paratos eſſe, arrepta ſtatim fuga, ſignificari Præfecto Luſitanorum curarunt, non veniſſe ſe, vt Luſitanis damnum inferrent,ſed vt hoſtes ſuos ſubuerterent,itaq; ſi damni quid Luſitanis ab hoc incendio illatum ſit, paratos ſeſe eſſe illud reparare & reſtituere. Nam quos reditus Clerici in hac ciuitate habent, eos Ethnicis acceptos referre cogũtur, qui licet infideles ſint, in honorem tamen & recordationem Apoſtoli Thomæ,qui multis ibi miraculis paulo ante mortem ſuam inclaruiſſe legitur,fratres eius,Canonicos nempe, modis omnibus iuuant & promouent. Cum igitur incendio hoc multa loca & ædificia huius vrbis vaſtata proximo die depræhenderentur, ex quibus ad templum Sancti Thomæ non parum quotannis redire ſolebat, mittebant incendii huius auctores poſt paucos dies ingentem auri vim, qua damnum hoc compenſaretur, ſed & loca o-

mnia

mnia incendio deformata reparabant, factum hoc sibi ignosci à *Diegopusogna* petentes. Erat hic *Diegopusogna* non ita pridem à Francisco Mascharêni, primo Philippi Regis Portugalliæ in his locis Præfecto, ad hanc dignitatem euectus. Cum enim Franciscus ille in Portugalliam redire cogeretur, & hunc *Diegopusognam* nauis illius, qua ex Portugallia superioribus annis huc delatus erat, Præfectum & moderatorem prudentem admodum & fidelem habuisset, Præfectum eum ciuitatis huius, vtpote tanto munere non indignum, constituit.

Ciuitas hæc multos pulcherrimos hortos habet, sed multis ventis exposita est, quibus mare subinde ita eleuatur, vt vel ædificia proximiora destruat & abducat, alioquin illud tantam profunditatem non habet, vt ad littus appellere naues maiores possint; sed necesse est, vt minorum nauigiorũ opera in deuehendis reuehendisq; mercibus mercatores vtantur, quæ quidem regere & moderari nautæ tanta dexteritate solent, vt inter medios fluctus quam celerrime littus assequantur, quo facto in arenam propelluntur, vt damnum à tempestate accipere nullum possint: nam & nautarum aliquis in puppi constitutus, si tempestatem solito maiorem ingruere videat, funiculum naui adhęrentem corpori suo alligat, seque ita dimittens nauiculam retinet, ne subuersa fluctibus naufragium faciat. Quia autem exercitum aduehere & ad littus deponere non datur, eo magis munitam vrbem eam esse vulgo prædicant.

Sed & præter hanc primariam ciuitatem, ciuitas ibi alia cernitur, muro luteo circumdata, quæ infidelibus militibus habitatur, quorum Præfectus *Aldicario* vocatur, habetque potestatem capitis supplicio sceleratos afficiendi. Hi eadem, qua in *Negapatam*, consuetudine mortuos suos comburendi vtuntur. At vero non procul ab hac ciuitate vrbs alia abest, quam *Castam* vocant, huius incolæ in more positum habent, vt, si forte maritus aliquis moriatur, sepulchrum ei satis amplum & profundum parent, cumque defunctum in foueam intulerint, collocant iuxta eum vxorem eius, moxq; cognati eorum proximi foueam terra opplent, & pedibus super eam prosiliunt, ne forte in viuis vxor maneat, sed vna cum viro suo moriatur.

Vxorem ducentes similem quærunt, ita vt faber fabri filiam, & sic consequenter ducat, preces suas ad imaginem Vaccę alicuius, vel etiam serpentis, cui *Bittia di Capella* nomen est, inuocant, cum venenatis suis morsibus omnia lędat, & hominibus dies noctesque insidietur. Alii, qui *Bramini* dicuntur, fimum vaccarum comburunt, cineribusq; illis, si forte pugnam inire cum gentibus aliis decreuerunt, frontem & nares aspergunt, nec aqua eos ad vesperam vsque abluunt. Qui idolo *Pagodo* sese sanctificarunt & desponderunt, cum satis diu in voluptatibus sese & libidinibus quasi volutarunt, carnis suæ particulas sagittis alligatas in auras eiaculantur, & variè discerpunt, donec tandem manus sibi violentas inferentes gulam præscindant, seq; ipsos *Pagodo* ita sacrificent.

Sunt præterea populi quidam, qui *Amocchi* alias *Chiavi* dicuntur, ex *Chiaua* oriundi. Hi cum animaduertunt, vitæ suæ terminum instare, appræhendentes arma sua, quæ *Chiffe* vocant, egrediuntur & obuiam quemq; trucidant, donec & ipsi interficiantur, idque ex desperatione, cum de vita sua iam desperarint. Habent equidem infideles isti populi idola quæ inuocent varia, quidam enim Deum in imagine hominis, quidam in vaccarum vel serpentum imagine colunt. Sunt qui solem & lunam inuocent, vt taceam quos arborem aliquam, vel flumen aliquod precibus suis compellare iuuat.

Inter festa alia, quorum multa per annum celebrant, vnum in autumno maxime solemne habent. Tunc enim arborem in terram defodiunt instar mali in nauibus, cum antenna erectam, ab antenna harpagines siue retinacula duo ferrea dependent. Cumque, qui vel ægritudine vel aliis calamitatibus & miseriis diu vexati votum *Pagodi* siue idolo suo fecerunt, accedunt, admonentur primum à ministris ad hoc constitutis, vt si cupiant ex singulari pietatis zelo ad *Ganzam* ascendere, sacrificium prius offerant, postmodo retinacula ferrea dimittunt, appræhensosq; in vtroque humero ad *Ganzam* in altum protrahunt, retinentes eum ita pendentem donec complicatis manibus ter pectus suum percusserit idolumque salutarit, & armis, quæ in manibus habet, ludum aliquem *Pagodo* exhibuerit. Hoc facto dimittitur, & sanguis ex vulneribus eius profluens ad arborem istam in honorem *Pagodo* aspergitur, postea funiculo ex *Ganza* parato eum in medio corpore colligatum, iterum ad *Pagodo* attrahunt, vt honorem idolo debitum exhibeat, gratitudinemque suam testetur, quo facto datur ei potestas vulnera sua obligandi, vt si fieri possit, cicatricem ducat, atque iterum conualescat. Hoc autem illi solum faciunt, qui vel amissam valetudinem recuperare, vel peculiare aliquid & magnum à *Pagodo* impetrare volunt. Sed & aliud festum habent, quod nocturno tantum tempore celebrant. Durat hoc festum octo continuis noctibus, vbi in longa quadam platea ciuitatis multæ candelæ ardentes cernuntur. Cumque côuenerunt ad festi huius solemnitatem, tres vel quatuor manibus sese tenentes à capite ad calcem plateæ currunt, oryzamque & cibos alios post se spargentes insequenti sese Diabolo, quod comedat, offerre asserunt, nullo modo retrospicientes, ne ab ipso perimantur & interficiantur.

Sed hæc de superstitionibus populorum horum Ethnicis dicta sufficiât. Quod ad pondera, monetasq; & mensuras, quemadmodum etiam ad vectigalia ciuitatis huius attinet, cum Rex in *Negapatan*, hic etiam dominium suum exerceat, omnia illa cum incolis in *Negapatan* communia huic ciuitati sunt, exceptis *Basarucchi*, qui ex cupro hic cuduntur, & minores longe sunt, quam illi quorum in *Negapatan* vsus est.

CAPVT XXXV.

De itinere ex Sancto Thoma vsque ad Pegu.



NEGOTIATIONE in hac ciuitate peracta, cum merces suas ad naues iterum detulissent, & quod vectigalis nomine debebant, persoluissent, soluentes iterum 13. Septembris velificationem Orientem versus direxerunt. Cum autem nauem dies integros hac velificatione cõsumpsissent, cœperũt ipsis nouæ Insulæ *Allegatæ* apparere, quæ sic dicuntur, q̃, cum fluctibus vndiq; marinis antea obrutæ laterent, nuper emergere & prominere ex vndis cœperint. Cæterum cum ad 23. Septembris vsque nauigationem continuassent, deprehenderunt non procul à *Maccareo* se abesse, loco admodum mirabili; quod aquæ ibi magna celeritate crescere & decrescere videantur. Naues enim ex *Martavan* eò venientes, vel sagittas celeritate sua crescentibus vndis superant, illis autem iterum decrescentibus in fundo subsistunt. Aqua certe vbi in canali ad summũ peruenerit, omnes arbores transcendit, itaque contraniti semper fluctibus inter nauigandum oportet, qui tanto cum impetu in canalem ruunt, vt sonum strepitumq; maximum edant.

Conuertebant autem sese in austrum, & cum in *Bara di Negrais*, qui portus est in *Pegu* ducens, venissent, *Pegodo* ad sinistram cernebant inauratum, quod

quod quidem nauibus longissime adhuc remotis affulget, sole prǽsertim radios suos in illud coniiciente. Solent quidem pluuiæ aurum aliquando abluere & obfuscare, at vero incolæ illud subinde reparant renouantq;, vt nauibus peregre aduentantibus signum sit, quo obseruato à portu non aberrent. Et sane apud mercatores nostros *Pagodo* vel templum illud non parũ etiam lætitiæ peperit, cum non ignorarent se ob ventorum vehementiam, si post quatuor vel quinque dies venissent, portum assequi nequaquam potuisse. Subsistentes igitur, vt scopulos aliquos vitarent, recursum & accessum aquarum expectabant. Interea circumspicientes locum pulcherrimis arborib. consitũ, & in eo templũ aliquod, vbi *Talopi*, homines monachis nostratib. similes, habitant, viderunt. Locus iste sanctus incolis illis habetur, qui orare volentes eũ frequentant, posthabito omni periculo, cũ tigrib. infensissimis tã hominib. q̃ pecorib. bestiis alioqn locus iste abũdare dicatur.

Antequam autem hinc abirent, appropinquabat ad eos 24. Septembris die nauicula quædam, quam *Salangara* ipsi vocant, itaque ipsi misso ad eam Lusitano aliquo cum muneribus Regi offerendis, petierunt, vt Regem de aduentu suo certiorem facerent. Ipsi autem progressi ad Insulam *Moschee*, multis piscibus abundantem, vt de piscibus sibi prospicerent, appulerunt. Cumque capiendis piscibus operam darent, venit ad eos dominus in *Cosmi*, multisq; gallinis & malis aureis, quorum magnus ibi prouentus est, Præfectum nauis donauit. Nauis, qua Dominus ille aduenerat, quoad longitudinem triremi similis erat, ita tamen vt in medio vix passum lata videretur, prora certe puppisq; ita coarctata erant, vt nauigia Veneta, quæ *Gondole* ipsis vocantur, referrent. Sedebant in naui hac centum fere remiges, remos habentes infurnibulo similes, quos ducentes, aquam quasi ad se trahebant, idq; ad sonum quatuor buccinarum, quibus signum remigib. dabatur, quando nimirum remos ducere deberent. Sedent autem remiges in media naui, estq; supra illos tabulatum aliquod mirum in modum exaltatum, & vt *Gondole* Venetum coopertum, vbi Dominus sedem suam habet, q̃ occludere & reserare pro libitu suo potest, ne cui accessus ad eum pateat. *Nauis cuiusdam regia descriptio.*

Progrediebantur igitur vna simul vsq; ad ciuitatem *Cosmi*, cuius tractus multis arboribus vtrinq; consitus est, psittacis, tigribus, apris, simiis, & id genus animalibus aliis abundans. Ciuitas autem ipsa sub 16. gradu sita, ædificia habet ex arundinibus Indicis crassioribus extructa, & stramine contecta. Locus alioquin satis pulcher & amœnus est, sed trigribus multum infestatur, quæ interdiu quidem in arundinetis & frutetis latitantes, noctu prodeuntes in homines & pecora grassantur. Mercatores nostri cum domũ ibi conduxissent, merces suas naui prolatas sub porticum stramine contectam exponebant, vt à ministris Domini in *Cosmi*, quorum alter *Decacieni*, alter *Ciricai*, vocatur, perlustrari & signari possent. Horum enim officium est bona omnia annotare & consignare, ne quid in exigendo vectigali postmodum errent, sed & mercatores merces ita expositas diligenter annotare solent, quo facto transferunt eas in naues, alias ipsis *Arò* dictas, quæ supra remos & transtra aliam adhuc contignationem habent, tegmine obductam, vt mercatores ibi sedere possint.

Mercatores igitur cum bona & merces suas annotassent, & maiorib. nauigiis in *Pegu* deferri curassent, ipsi 26. Octob. die ex *Cosmi* soluentes, minorib. vtebantur nauigiis, quæ ipsis *Parò* dicuntur. Progressi aũt iuxta littus, vesperi ad promontorium quoddam, in sinistro latere *Pain Perlon* dictum, perueniebant, assequentes sequenti die circa meridiẽ quidem *Marma Mala*, circa vesperam vero oppidum *Iacubel*, & paulo post aliud *Tegiatden* nomine.

Postero

Postero die attigebant locum alium *Balatini* dictum, vbi pulcherrima vasa fictilia parari solent, conspicientes paulo post *Dian*, regionem magnam, & lignorum parandis nauibus conuenientium ditissimam; vnde multæ etiam naues ibi parantur, quæ triremibus similes, multis cellulis, quibus diuersæ merces imponantur, distinctæ sunt, medioque loco, vbi malus alias collocatur, porticum habent, sub qua moschi *Belzoin*, & variarum gemmarum exerceri negotiationes solent.

Porro cum 29. die regionem *Bedogiamana*, *Lagapala* & *Purdabui* conspexissent, vesperi ad regionem *Gungiebudi* appulerunt, vbi non solum propter piratas & prædones, qui sub specie insignis beneficētiæ & humanitatis opprimere aduentantes solent, sed & propter tigrium multitudinem, quæ obuia quæq; discerpunt, multis periculis expositi erant. Etiāsi enim in terrā non descenderent, audiebant tamen ex aliis, bestias illas aquam etiam ingredi, & prædam inde capessere solere. Postero die angustum admodum canalem ingressi sunt, qui à palmis magna frequentia ab vtraque ripa crescentibus inumbratur. Cōspexerūt autē ibi ciuitatem *Coilan*, quæ in quadrata forma 12. leucarum circumferentiam continet. Paulo post ciuitatem aliam *Tuvagnedan*, multis templis & statuis conspicuam, & vesperi pulcherrimam ciuitatem *Leungon*, in patenti, multisq; palmis decoro campo sitam. Cumque vtrinque multa ædificia vidissent, continuato itinere ciuitatem frequenti populo habitatam *Siluansedi*; & circa vesperam vrbem aliam, cui *Moggio* nomen est, assecuti sunt. Hærebant ibi in littore multæ naues, quæ cellulis aliquot distinctæ & stramine à prora ad puppim vsque contectæ, vel ædificiorum vsum hominibus præstare poterant. Homines hi aquam ex oryza parare extrahunt, quæ cum aqua vitæ vel vino igni eliquato certare sua virtute & efficacia potest, reperiturq; in toto hoc tractu commeatuum satis, ita vt nauigantes non necesse habeant cibos, quos secū habent, ibi cōsumere, possintque eos, donec in mare iterum perueniant reseruare, & quæ ad sustentationem pertinent, tolerabili sibi pretio ibi comparare.

Secundo Nouemb. ad *Dala* ciuitatem appulerunt, vbi præter alia decem stabula elephantum cernuntur, qui in gratiam Regis *Pegu* à ministris variè exercentur & instituuntur. Postero die pulcherrimam ciuitatem *Dogon* assecuti sunt, ad quam ex portu viginti gradibus ascendendum est: nam propter accessum & recessum aquarum, ex faucibus *Sirian* prorumpentium, fieri solet, vt fluctus ad supremum vsque gradum ascendant, & mox ad infimum vsque recedentes, littus omne deserant. Facti sunt gradus isti ex firmissimo ligno insignis longitudinis, constitutaq; est ab vtraque infimi gradus extremitate tigris eximiæ magnitudinis ex ligno fabrefacta, & viuis suis coloribus ita illuminata, vt bestiam viuam repræsentet, similiter vero & in medio gradus illius duæ constitutæ sunt, quæ deductis faucibus interitum hominibus minantur, dicuntque incolæ positas ibi esse in tutelam idoli *Pagodo*, vt nimirum absterreant homines, ne idolo isti vim aliquam inferant.

Hanc ciuitatem visuri mercatores nostri nauigiis egressi sunt, cumque in terram descendissent, viam ingressi sunt ad dextram, ferè 500. passus latam, inuenientes in ea aliquot ædificia lignea inaurata, & pulchris hortulis ornata, quibus *Talapoi*, qui monachi horum populorum sunt, *Pagodo* ministrantes, habitant. Sinistrum latus multis porticis exornatum est, sub quibus merces variæ expositæ venales habentur, estque via hæc satis longa, ita vt leucam integram eundo quis conficiat, antequam ad *Pagodo* siue idolum in *Dogon* pertingat. Vt vero ad locum istius idoli peruentum est, cernitur ibi

scala

ſcala 90.graduum, & tantæ longitudinis, quantæ canalis *Rialdo* eſt Venetiis. In fundamento ante primum gradum poſitæ ſunt duæ tigres, altera ad ſiniſtram, altera vero ad dextram, ex ſaxo, eadem qua priores littore forma ſculptæ, ita vt ſeſe inuicem intueantur. Gradus autem ſcalarum tribus interſtitiis diſtinguuntur, quorum primum eſt 40. alterum 30. tertium vero 20. graduum, conſiſtuntq; in gradu infimo duo lapidei angeli, quilibet tribus coronis, altera alteram magnitudine ſuperantibus, inſigniti. Hi duos dexteræ manus digitos in aduentantes intendunt, quaſi benedictionem ipſis impertientes, ſiniſtram manum is, qui aſcendentibus à dextris eſt, in caput pueri, alter vero qui à ſiniſtris eſt, in caput ſimiæ reclinatam habet, ſuntque ſtatuæ iſtæ omnes lapideæ. In ſummitate ad dextram quidem *Varella* lapideum eſt, auro vndique obductum, rotundæ formæ, tantæque magnitudinis, vt circumferentia quidem ſua aream palatii Veneti, altitudine vero turrim campanariam templi, quod Venetiis ad diuum Marcum vocatur, vſque ad columnas æquet. Ad ſiniſtram aula cernitur magnæ capacitatis, auro vndique obducta, & hic quidem locus eſt, vbi preces ſuas peragere, & conciones *Talapoi* ſiue monachorum ſuorum homines iſti audire ſolent. Locus certè hic ſanctiſſimus ipſis habetur, itaque ex longinquis locis homines ad eum quotannis terra mariq; confluere videntur, vt ſuperſtitiones ſuas ethnicas ibi peragant. Cum verò feſtum aliquod anniuerſarium celebrandum eſt, Rex ipſemet cum coniuge liberisq; ſuis, & proceribus regni aliis, indulgentias allatum aduenit, hunc multitudo ſubditorum & peregrinorum ſequitur. Peracto autem hoc feſto nundinæ celebrantur, quibus omnis generis merces venales habētur, licitumq; eſt omnibus etiam Chriſtianis, quicquid voluerint emere. Cæterum multæ in gradibus hiſce ſimię diſcurrunt. Mercatores autem noſtri inter deſcendendum ad ſiniſtram primi interſtitii ſcalarum, in turri quadam campanam viderunt, eiusq; circumferentiam ſeptem paſſuum & trium palmorum depræhenderunt. Eſt hæc elegantiſſima ſcriptura, à vertice ad calcem vſque vndique conſcripta, literas exhibens pulcherrimè ſculptas & inciſas, ſed quæ neq; à peregrinorum aduentantium, neq; ab incolarum quoquam in *Pegu* legi poſſunt. Quin imo non reperitur ibi quiſquam, cui, vel qua ratione, vel quo tempore, vel quib. ex locis campana iſta eò delata ſit, quicquam conſtet.

Ex hoc porro loco cum ſub veſperam ſoluiſſent, nocte illa reti piſcatorum ſeſe ita implicarunt, vt parum abeſſet, quin, quod vni ex nauigiis illis, quæ ſimul nauigabant, accidit, naufragium feciſſent. Culpa vero piſcatorum erat, qui cum retia laxare volunt, ignem in cymba ſua piſcatoria per totam noctem fouere tenentur, vt aduentantes nautæ, eo admoniti, ſibi cauere facilius & periculum declinare poſſint. Progreſſi igitur primo diluculo imminere ſeſe faucibus *Sirian* videbant, vbi cum fluctus rapidiſſimi eos in *Maccareo* abripere vellent, vix magno tandem labore eluctati ad portum *Sirian* applicarunt.

CAPVT XXXVI.

Deſcriptio ciuitatis Sirian, *& itineris continuatio.*



SIRIAN Cæſarea quondam ciuitas fuit, in qua Cęſar quidam ſedem ſuam habuit. Muros habet deſolatos, ſed ex quibus appareat tamen, inuictam eam quaſi & inſuperabilem quondam fuiſſe. Anno 1567. in poteſtatem Regis *Pegu* peruenit. Cum enim is ſesquimilliones armatorum contra hanc ciuitatem in aciem produxiſſet, obſidionemq;

ſidionemq; integro biennio, quo quidem tempore vltra dimidium millionem vel quingenta millia militum amiſit, continuaſſet, per proditionem ea tandem potitus eſt. Cæſar igitur cognita expugnatione, hauſto veneno ſibi mortem conſciuit, aulici vero eius cum multis Elephantibus, auro & gemmis onuſtis, in *Pegu* abducti ſunt.

Cæterum relicta hac ciuitate *Sirian*, in cæpta nauigatione pergentes habitata hinc inde ab hominibus oppidula & pagos viderunt, donec tandem ad locum quendam *Maccao* dictum peruenirent, vbi nauigiis deſcendentes, leucas ſuperſtites duodecim eundo cõficere, omnes, qui in *Pegu* iter ſuſcipere volunt, coguntur. E regione huius loci multa pulcherrima ædificia cernuntur pro Rege in *Pegu* extructa, vt ad illa diuertere & inde nauigia ſua auro pulcherrime exornata conſcendere pro libitu poſſit. Tempus autem, quod in hoc itinere ex *Coſmi* vſque ad hunc locum *Maccao* conſumpſerunt, vndecim dies ſunt, quibus in hiſce dulcium aquarum fluminibus nauigarunt, quæ quidem certis temporibus accedere & recedere maris inſtar videntur. Ab vtraque ripa ædificia multa cernuntur, quæ trabibus in terram defixis inſiſtunt, vt homines à tigribus tuti in illis eſſe poſſint, aſcendentes enim ad ædificia ſua ſcalis leuioribus vtuntur. Cumque veſperi omnes domum ſeſe receperunt, remotas à terra attrahunt, ne fortè belua etiam quædam aſcenſum paret. Sunt qui bubalos in ædibus ſuis nutriant, dicantque odorem horum animalium tantopere tigribus infeſtum eſſe, vt ad locum, vbi bubalos eſſe ſentiant, nullo modo appropinquent.

Qui ex Sancto Thoma verſus *Pegu* iter facere inſtituit, melius ſibi conſulere non poterit, quam ſi in ciuitate Sancti Thomæ armillas aliquot vitreas, quæ ibi parantur, coemat, & ſecum ad hæc loca tranſportet, pro illis enim cibum ſibi melius quam pro præſenti pecunia in itinere comparare poterit. Non auſim hic recenſere numerum *Pagodi* ſiue idolorum, quæ toto hoc tractu cernuntur. Sunt enim multa & varia, atque vt ſaltem duorum mentionem faciam, quæ in littore ciuitatis *Dogon* conſtituta ſunt, illa à capite ad pedes vſque formam adoleſcentum referunt, vultu vero diabolum repræſentant, & in tergo alas duas habent. Reperiuntur præterea ibi aliquot *Varelle* in locis amœnioribus extructa, & auro vndique obducta, quibus quidem multum auri & aliarum rerum quotidie offertur, vt ſubinde, deformata à pluuiis crebrioribus, iterum renouentur. Circum *Varelle* hæc ſimiæ reperiuntur magna copia alligatæ, quarum incolæ quidam curã diligentem agunt. Cum enim manib. pedibusq; vt homines donatæ ſint, pro eiuſmodi habentur animalibus, quæ Deo præ cæteris grata & accepta ſint, & hinc omnes quidem ſyluæ & fruteta, quæ ibi reperiuntur, ſimiis abundare cernuntur, cum à nemine, niſi fortè in vſum horum *Varelle*, capiantur.

Vt autem ad iter mercatorum noſtrorum reuertamur, ipſi 6. Octobris die in *Maccao* venientes, bona ſua omnia ex nauibus prolata duobus curribus impoſuerunt, illisq; *Pegu* verſus præmiſſis, ipſi cum Pręfecto manſerunt, vt ei conſueto more miniſtrarent. Vocatur Pręfectus iſte *Mureno Mor*, quod Præfectum omnium Luſitanicarum nauium, quę vel *Pegu* verſus, vel ad loca alia quæcunq;, ſub imperio & iuriſdictione Regis *Pegu* ſita, denotat. Huic officio præerat tum *Antonius di Suoſa*, qui nauem præſidiariam cum 30. armatis ſatellitibus ducere ſolet, mercatores vero ei ſimiliter, vt & ſuo Præfecto in itinere miniſtrare cogebantur. Miſerat autem Rex in *Pegu* ad Præfectum iſtum per *Chiricai* ſuum duos Elephantes, cum mandato vti ad ſe veniret; quare cum *Chiricai* iſte, nauem ingreſſus, Præfectum Regis nomine ſalutaſ-

ſalutaſſet; ipſe tormentorum omnium diſploſione facta, in terram deſcendit, collocatoque in Elephantem alterum ſatellite ſuo, peluim argenteam elegantiſſima ſcriptura exornatam, quam *Olle* vocant, Regi dono miſit. Cumq; *Delingo* accepiſſet, vnà cum mercatoribus *Pegu* verſus profectus eſt. Cæterum *Delingo* pannus eſt goſſypinus craſſior, variis coloribus ornatus, tanta & latitudine & longitudine, quanta tapetia ſunt ſiue aulæa, quę ad parietes ſuſpenduntur, in extremitatibus annulos ferreos habent, per quos arundo craſſior traiecta eſt, cuius beneficio à quatuor viris ſuſtinetur atque geſtatur. Imminet vero ei tegmen aliquod, quod à pluuiis & ſolis æſtu eum, qui panno eiuſmodi velut lectica vtitur, defendat: cum enim eo vti quis expetit, neceſſe eſt vt eum explicet, impoſitoq; in eum puluinari, ſeſe ſuper illud collocet, & tunc à quatuor baiulis tam molliter geſtatur, vt commotionem nullam ſentiat, nec aliter quam in lecto ſeſe recumbere exiſtimet. Baiuli hi ad laborem hunc aſſuefacti totum diem (quod mireris) currendo exigunt, & non niſi ſemel in eo quieſcunt. Itaque eiuſmodi equis ad *Pegu* ciuitatem aduecti mercatores, magna cum lętitia ab incolis accepti ſunt; cum quadriennio integro nulla ibi nauis Luſitanica appulerit, idque propter bellum, quod propter nauem Æthiopicam igne à Luſitanis exuſtam exciterat, iam vero morte ſenioris in *Pegu* Regis compoſitum fuerat. Itaque Præfectus quidem ad conſuetum hoſpitium cum ſuis proficiſcebatur, mercatores vero noſtri ab Armeno quodam, cui Emanueli nomen erat, in domum aliquam deducebantur, vbi expectarent, donec merces eorum aduenirent, quæ & ipſæ nono eiuſdem menſis die in ciuitatem allatæ & ipſis reſtitutæ ſunt.

CAPVT XXXVII.

Deſcriptio ciuitatis & bellorum Pegu.



CIVITATES *Pegu* duæ ſunt, *Pegu* vetus & *Pegu* noua, in quibus quidem exteri cum indigenis mercatoribus, quorum multi ibi reperiuntur, habitationem ſuam habent. Noua à moderni Regis patre non ita pridem eleganti ordine excitata, & multis fortificationibus propugnaculiſque munita eſt. Altera autem vetuſta admodum eſt, & multis ædificiis ex arundinibus craſſioribus extructis conſtans. Verum, vt de noua, quæ propter ſedem Regiam præcipua eſt, dicam, ea quidem iucundiſſimo & amœniſſimo loco ſub 16. gradu ſita eſt, forma quadrata & muro firmiſſimo vndique cincta atque circumdata, portas habet quatuor, & foſſas aliquot aqua repletas, in quibus multi crocodili eo fine ſuſtentantur, ne quis tranando eas ſuperare conetur. In muro ciuitatis caſtella paſſim lignea excitata ſunt, in quibus armati quidam excubias agunt, qui nullum quidem ordinem ſeruant, ſed ſatis tamen diligentes in officio ſuo ſunt, vt dato forte ſigno, reſpondere abſque mora poſſint. Milites hi *Brama* vocantur, ſuntque viginti numero, qui interdiu quidem excubare ad portas ciuitatis ſolent, ita diſtributi, vt quini ad portas ſingulas conſtituti totius lateris curam agant, ſunt enim latera quælibet ſecundum rectam lineam ita producta, vt ab angulo vno ad alterum proſpicere commodè poſſis, eſtque via tam lata, vt quinque vel ſex equites ſimul equitantes admittat.

Ædificia huius ciuitatis ex craſſiorib. lignis extructa, & muro lapideo illis in locis, vbi ignem extruunt, munita. Incolę autem fœde admodum viuunt,

 ſues

ſues plerunque in ædibus nutriunt, & quaſi ex ſingulari pietatis zelo potu fere nullo alio præterquam aqua ex foſſis ciuitatis hauſta vtuntur, licet crocodilis, vt paulo ante dictum, ſcateat plurimis, quorum vel 30. pedes longitudine ſua aliqui excedunt, & diem prætertire non ſinunt, quo non homines aliquos abducant & deuorent. Hoc tamen non obſtante, hæ ipſis beſtię, quemadmodum & ſimiæ, tam ſanctæ habentur, vt certo certius ſaluari dicant, quotquot à beſtiis illis deuorētur, quæ tantæ ſunt aſtutiæ, vt inter denſiſſimas herbas occultatæ lateant, dum ad hauriēdum aquam vrbe quidam egrediantur, tum enim proſilientes manibus pedibusve appræhenſos in aquam præcipitant, ſecumque in ſpeluncam ſuam abducunt & deuorant. Accidit hoc, ſpectantibus mercatoribus noſtris, mulierculæ cuidam, quæ manibus in cœlum protenſis, opem hominum fruſtra implorabat. Rex igitur de crudelitate & ſæuitia harum beſtiarum edoctus, iuſſit vnam ex illis, & quidem illam, quæ plurimum damni hominibus inferre dicebatur, interfici, erat enim ingentis magnitudinis, quo facto deuoratos quoſdam eſſe rarius auditum eſt.

Egreſſuri ciuitate, vallum ſiue aggerem, qui ſupra foſſas ciuitatis, ex portis ad campum vſque protenditur, tranſcendere coguntur, ad ripam autem foſſarum variæ arbores conſitæ delectationis haud parū præbent. Elephantes, qui quotidie lauatum foſſas illas ingrediuntur, nihil à crocodilis illis damni accipiunt, quod magnitudinem eorum beſtiæ illæ exhorreſcant.

In ciuitate ad dextram intermedio inter duas portas loco, *Varella* ſiue templum inauratum cernitur, eiuſdem cum illo in *Dogo* magnitudinis. Hoc templum Rex aliquando frequentare ſolet, qui preces ſuas peracturus ſcalam quandam aſcendit, ad cuius gradum infimum tigres duæ, quæ diductis faucibus viuas repræſentant, collocatæ ſunt. In Palatio Regis tympanum eſt, quod pulſatum ſonum edit tam horrendum, vt quis ſibi tormenti alicuius lōgiuſculè à ſe remoti diſploſionem audire videatur. Situm eſt autem Regis palatium loco ciuitatis medio, eſtque quaſi propugnaculum aliquod foſſis vndique cinctum, & duabus portis ita munitum, vt vna ante aliam poſita cernatur. In parte propugnaculi ſiue palatii huius exteriore, porticus eſt, ſub qua nobiles & alii primarii viri Regi miniſtrantes domicilia & ſtationem ſuam habent, Rex enim quotidie horam vnam atque alteram audiendis cauſis attribuit, antequam autem palatio ſuo exeat, duodecim buccinis argenteis ſignum ſuis nobilibus & toti populo dari curat, vt antequam prodeat, parare ſeſe in eius occurſum poſſint. Rex modernus ad declarandam potentiam ſuam, duas columnas lapideas, ab vtroque ingreſſus in arcem latere erigi curauit, quibus inſcriptum eſt, acceſſum patere omnibus, vt ſine venia ingredi poſſint.

Non poſſum intermittere, quin cōmemorationem hic inſtituam eorum, quę vni ex mercatoribus noſtris, Caſparo Balbio, ex cuius cōſignatione hęc ſcribo, coram Rege hoc acciderunt. Erat hic Gemmarius, & cum ad Sanctum Thomam eſſet, mōſtrauerat alicui ex miniſtris Regis in *Pegu* pulcherrimos aliquot ſmaragdos, qui Regi ſuo eos gratos futuros dixerat. Cum igitur in ciuitatem Pegu veniſſet, & quidem ea ipſa hora, qua cauſas auditum Rex in publicum prodibat, accurreret, vt Regem videret, accidit, vt ad Regem venire & ſmaragdos ſuos ſecum afferre iuberetur. Properans igitur ad domicilium ſuum Gemmarius, ſmaragdos attulit, aſſumptoq; Interprete per primam palatii portam ingreſſus, vt Regem cum ingenti pompa (omnium enim quotquot in mundo ſunt Regum potentiſſimus haberi, & viuus quaſi Deus videri vult,) progreſſum vidit, in genua ſtatim cum Inter-

Interprete suo procidens, manus instar rogantiũ aliquid eleuabant. Cumq; facie sua terram ter attigissent, eandemq; deuotionem semel adhuc antequam ad thronum maiestatis suæ pertingerent, repetiissent, exhibebat Interpreti smaragdos suos, qui dictum iam honorem repetens, protensa supra caput manu, eos spectatum eleuabat. Rex visis gemmis illis, innuebat *Naigira* seu Oratori suo, qui honore eodem Regi præstito, acceptos ex manibus interpretis smaragdos Regi offerebat, longo statim interuallo inde recedens.

Rex acceptis smaragdis illis, quærebat ex Gemmario nostro, cuias esset, quamdiu domo abfuisset, quid nominis haberet, & vbi locorum gemmas istas accepisset? Gemmarius per Interpretem, cum singulari reuerentia, quam ad singula verba præstare oportet, respondebat: Patriam suam Venetias esse, vocari sese Casparum Balbium, domo iam quatuor annos abfuisse, & gemmas istas Venetiis secum nullam aliam ob causam attulisse, quam vt Regiæ maiestati, quæ per totum mundum innotuisset, & cum qua nullius Regis potentia comparari posset, donaret. Hoc responsum Gemmarii ordine consignatum, & per Oratorem Regi expositum est, qui porro interrogabat, in qua mundi plaga vrbs Venetiæ sita esset, & quem Regem haberet? Cumq; intelligeret in Italia vrbem hanc sitam esse, nullum vero Regem agnoscere, sed à Senatu & populo gubernari, miratus admodũ, & vehementi risu concussus, vix verbum facere amplius potuit. Quærebat tamen tandem, postquam sese iterum collegisset, an etiam Portugalliæ Rex alicuius potentiæ esset, & quid de Venetorum potentia statuere deberet? Respondebat igitur Gemmarius, Regem Philippum, cui Portugallia subiecta, in Christiano quidem orbe potentissimum esse, & Venetis optimè cupere, qui licet ea sint potentia, vt non necesse habeant aliquem metuere, colere eos tamen cum omnibus Principibus amicitiam, vtque argumentum aliquod potentiæ Venetorum proferret, damnum illud, quod Imperatori Turcico, dissipata & submersa classe ipsius, non ita pridem intulerant, commemorabat.

Finito hoc colloquio curabat Gemmario offerri phialam auream, & quinq; pannos Damascenos ex *China*, variorum colorum, dicebatq; Regem non dare hoc ei loco solutionis pro smaragdis, sed *Terreca* siue æstimatori suo mandatum dedisse, vt smaragdos illos æstimaret, & pretium ipsi conueniens persolueret, quod ipsum quidem omnes mirabãtur, cum in more positum non haberet cuiquam aliquid donare. Ipse autem præterea etiam imperabat, ne quicquam vectigalis nomine *Decacini* à Gemmario exigerent, cui alioqui plus 1600. *Bize*, vel 800. ducatis soluendum fuisset. Gemmæ vero istæ adeò ei placebant, vt continere se non posset, quin filio suo & reliquis regni proceribus eas continuo monstraret. Filius autem eius *Maripasaglia* nomine, à dextris Regis in sella deaurata sedebat, semperq; cum Rege loquens, manus more rogantium aliquid complicabat.

Sequenti die Rex missis ad Gemmarium tribunis ærariis suis, interrogauit, nunquid auro vel *Ganza* solutionem smaragdorum fieri vellet? Qui respondit: Cum Rex liberum sibi faceret, solutionem eo modo petere, qui sibi conuenientissimus videretur, petere se, vt dimidiam pretii partem vnionibus siue margaritis, & alteram dimidiam *Ganza* sibi præstarent. *Ganza* autem moneta est ex cupro & stanno constans, cuiq; cudere permissa, dummodo debitum suum Regi persoluat. Annuebant statim tribuni. Gemmarius vero cum gemmarum etiam aliquid appeteret, rogabat tribunum, vt vnicam saltem ex præstantissimis quas Rex haberet gemmis sibi venderet,

qui se quidem id libenter facturũ dicebat, sed necesse tamen esse, vt veniam prius à Rege impetraret, quo cõsentiente petitioni Gẽmarii abunde satisfactũ est. Post dies 5. reuersus ad Gemmarium tribunus ærarius, gẽmas preciosissimas attulit, easq; lõgè minoris q̃ priores Gemmario vendidit, cumq; nõ ignoraret eum duas bombardas pulcherrimas habere, monuit vt iuniori Principi Regis nimirum filio alteram donaret, quod ab ipso quidem statim factum, licet remunerationem nullam acciperet.

Cæterum cum solutio smaragdorum de die in diem differretur, & de margaritis quidem in solutionem accipiendis Gemmarius fermè iam desperaret, constituit, omissis illis, totam solutionem in *Ganza* accipere. Erant enim qui suaderent, vt veniam à Rege peteret in ciuitatem *Avua*, pyropos & alias gemmas ibi coemptũ proficiscendi, cum sine venia Regis ad ciuitatem istã appropinquare nemini liceret. Gẽmarius igitur iuniorẽ Principem cõueniens rogabat, vt causam hanc suo nomine apud Regem ageret, quod ipse quidẽ non solum libenter sese facturum, sed & nauem suam ei in hunc vsum permissurum pollicebatur. Accidit autem vt eadem hora nuncium Rex acciperet, quod legatus, quem ad Regem in *Avua* eam ob causam miserat, vt officii sui eum moneret, qui iam integro triennio tributum Regi non persoluisset, interfectus esset. Itaque hoc cognito, per legatum alium bellum ei indixit. Cum igitur ad bellum sese tota ciuitas *Pegu* pararet, metũ inde haud exiguũ Gẽmarius percepit, merces n. suas diuenderat ita, vt triũ mensium spatio pretium pro illis solueretur. Erantq; omnes in *Pegu* eius sententiæ, quod putarent Regem in *Avua* superiorem futurum, præsertim cum Præfecti in *Pegu* constituissent inter pugnandum ad Regem in *Avua* deficere. At vero Rex hac ipsorum malitia cognita, conuocatis omnibus, cuiuslibet in specie sententiã de bello hoc rectè instituendo auditurum sese simulabat, & sub hoc prætextu quemlibet vinciri curabat & seorsim conseruari, ita vt nemo quid de eo factum cognosceret. Post viros conuocabat & vxores & liberos eorum, ita vt numerus captiuorum quatuor millia excedere diceretur, quos omnes vno inclusos ergastulo vno simul incendio perdidit.

Dum hæc ibi agerentur, transierunt dies quindecim, vt suæ quælibet mercatoribus merces, quæ hactenus in spatiosa quadam camera asseruatæ fuerant, restituerentur. Omnes enim peregrinæ merces ibi deponuntur, & si aliquid perire contingat, culpa quidem, quibus cura domus illius demandata, imputatur, & ipsi restitutionem damni facere coguntur. Post dies autem decem vel quindecim, necesse est, vt dominus mercium istarum cum munere aliquo ad Regem se cõferat, & permitti sibi petat, post solutionem vectigalis eas ad se iterum recipere. Sine munere autem Regem accedere nemini permittitur, qui cum animaduertit, petitionem hanc æquam & iustam esse, accepto munere ei consentit, quod si consentire non possit, ne munus quidem etiam accipit. Persoluto autem vectigali, ministri coria vaccarum, quibus merces inuolutę sunt, per sortem inter se distribuunt, & in cibum sibi pręparãt. Vectigal autem, quod à mercatorib. hoc in loco persoluitur, dextrans est siue decem pro centenis, & quadrans præterea siue tria pro centenis, in vsum & sustentationem Scribarum siue librariorum. Nauium Præfecto in itinere ex Sancto Thoma ad Pegu vsque semissis, siue sex pro centenis debentur. Panni autem, qui ex ciuitate Sancti Thomæ afferuntur, in *Paggiavellon* venduntur, estque *Paggiavellon* fasciculus quatuor pannis constans. Transferuntur autem in *Pegu* panni varii, quorum aliqui *Topiti*, aliqui *Corpi Pintadi*, &c. nominantur. Sunt enim colore vario infecti, & tanto arti-

to artificio contexti, vt Regis *Lagia* vocentur, & 50. 60. 70. & 80. *Bize* veneant. *Bize* autem moneta eſt dimidium ducatum valens, quamuis etiam minoris precii, nempe quæ 15. 20. 30. & 40. *Bize* veneant, inueniantur. Sed & ex *Muſelipatan* panni in ciuitatem *Pegu* transferuntur, ſed longe minoris precii ſunt, vtpote illis, qui ad Sanctum Thomam parantur, longè inferiores, hi enim quo ſæpius lauantur, eo præſtantiores & pulchriores euadunt, idque propter coloris præſtantiam, & ſuccum herbæ alicuius, quæ ex propugnaculo *Manna* ad Sanctum Thomam perfertur, quamuis etiam ex *Petopoli* eam accipere poſſint. Cæterum & panni goſſypini ad Sanctum Thomam colore vario inficiuntur & tinguntur; ſed qui 16. *Coudi* & non minus in longitudine, quatuor vero in latitudine contineant oportet, alias in *Pegu* diuendi non poſſunt.

Eiuſmodi igitur pannos coloratos homines in *Pegu* ab vmbilico ad genua vſque demiſſos geſtant, reliquo corpore nudi incedentes. Qui bonorum aliquid vendunt, neceſſe eſt, vt ſolutionem tribus menſibus expectent, tanto enim tempore naues ad perficiendum iter ex Sancto Thoma in *Pegu* vſque opus habent. Finito hoc tempore ſolutionem mercatores accipiunt, & quidem in auro habita ratione valoris & præſtantiæ ipſius, optimum enim, quod auro Venetorum *Zechin* ſimile eſt, & *Nouellan* ipſi nominant, in ſolutionem accipere conſultum non eſt. Siquidem in ciuitate Sancti Thomæ lucrari ex hoc auro nemo quicquam poteſt. Quod ſi finito hoc tempore quis vel ex ciuitate cedat, vel alibi ſeſe occultet, vt conueniri non poſſit, tunc *Tarreca* pro eo ſolutionem præſtari cogitur. Si vero præſentem quidem ſe exhibeat, verum non ſoluendo ſit, tradit eum *Tarreca* in domum creditoris, vt ibi captiuus teneatur, donec ſatisfaciat, quod raro tamen fieri ſolet: nam vt dedecus hoc & infamiam vitent, mutuãtur potius pecuniam, & vſuram ad certum tempus pro ea perſoluunt. Quod ſi per hyemem ibi ſubſiſtere quis velit, etiam *Ganza* in ſolutionem accipere poteſt. Cum pro illa gemmas, aurum, argentum & quaſcunque res alias accipere & emere poſſit. Huius autem pecuniæ 1200. *Bize* integrum aſſem faciunt auri præſtantiſſimi, quod ipſi *Nouellan* vocant. Pondus in auro ſuperat illud in *Ganza*, ſedecim partibus. *Bize* vnum in pondere continet 40. vncias Venetas & centum *Teccali*. Vnum vero *Gito* facit 25. *Teccali*. Sic *Abucco* vnum ſunt $12\frac{1}{2}$. *Teccali*. Æſtimatori bonorum ſiue *Terreca* debetur vnum cum dimidio de centenis, vel vnum tantum, ſi auro fiat ſolutio. Atque hi homines muneri huic à Rege præficiuntur, & neminem defraudare vel circumuenire poſſunt.

Interea temporis dum mercatores noſtri ſolutionem mercium ſuarum expectarent, ciuitas tota propter bellum inquieta & turbata erat, quamuis bona ſpes aliquos haberet, fore, vt Rex in *Avua* culpam deprecaretur, & Regi in *Pegu* ſeſe vt antea ſubmitteret, quod quidem etiam feciſſet, niſi ſeditio quædam inter milites per proditionem excitata fuiſſet. Peperit hæc res varias Gemmario noſtro cogitationes, nec parum ſollicitudinem eius auxit, quod videret, Regem ipſummet in bellum proficiſci, & omnes *Magazeni* ſiue cameras & gazophylacia eius obſerari vſq; ad reditum eius. Reliquerat ille quidẽ Principem filium ſuũ cum magno *Broma* ſiue Cancellario in *Pegu*, qui vices eius interea ibi agerent; verum ſolutionem ab illis accipere Gemmarius non poterat, nec dies quidem tranſibat, quo nõ ſiniſtri aliquid nuncii ex caſtris ad ciuitatem deferretur, Rege præſertim ex variolis in caſtris grauiſſimè & periculoſiſſimè decumbente, qui morbus apud illos contagioſus & periculoſiſſimus habetur. Sed conualuit tamen tandem Rex & conſe-

consecuta victoria, domum reuersus est, quo facto solutionem suam pro voto Gemmarius accepit.

Cæterum Rex hic in *Pegu* splendidam admodum vitam agit, habetque aliquot hinc inde constitutas excubias, maxime in ipsa aula siue area arcis interiori, eo ipso loco, quo exire & redire solet, ibi enim ab vtroque latere sedentes cernuntur excubitores siue vigiles plurimi, armis suis instructi, qui *Brama* ipsis vocantur. Antequam excubias hasce quis assequatur, stabulum ei prætereundum est, longè pulcherrimum, in quo quatuor Elephantes albi & vnus niger, admirandę magnitudinis, nutriuntur, quib. Rex ad negotia varia vtitur, in reliquis autem vilioribus stabulis detinentur Elepantes alii, quibus in bello Rex vti solet, reliquis variè per ciuitatem & extra eam distributis. Tribunal Regium seu locus causis cognoscendis destinatus supra modum elegans & splendidus apparet, colore enim cæruleo illuminatus, & auro obductus est. Sedens autem pro tribunali, ipse quidem *Ventolo* siue flabellum in manu tenet, à tergo autem astant ei quatuor satellitum filii, quibus ad explendam libidinem abutitur. Ante ipsum sunt quasi procuratores, qui causas & petitionem subditorum Regi exponunt, responsumque eius ipsis referunt. A sinistris astant ei Tribuni ærarii, à dextris autem iuniorem Principem filium suum in deaurata sella sedentem habet. Ad pedes eius siue in loco paulo inferiori cernuntur primarii, quos in aula sua habet proceres, quales apud nos Duces sunt, Marchiones, Comites, Equites, Prefecti & alii, quilibet suo loco consistentes. In capite diadema gestat aureum quadruplex, cuius pars quælibet peculiari quodam fulcro innititur, ita, vt quam altissimè eleuetur & consurgat. Est autem partim argenteum, partim aureum, & multis aureis bullis hinc inde dependentibus conspicuum.

Cum Rex pro tribunali sedet, Elephantes primum albi & post illos omnes alii suis stabulis per ministros, quibus cura horum animalium demandata est, producuntur, qui vt in conspectũ Regis veniunt, honorem ei exhibituri, promuscides erigunt, apertoque ore sonum ter edunt, postmodo in genua concidunt, & surgentes iterum stabula sua repetunt, vbi, quod mercatores nostri suis sese oculis vidisse asserunt, ex vasis aureis cibantur, & ex argenteis aqua repletis lauantur, quod quidem singulis diebus bis fieri solet, non in stabulo sed sub tegmine, quod octo arundinibus innititur, & à totidem ministris gestatur, ne solis ardore forsitan lædantur. Cum producuntur Elephantes, præcedunt buccinatores quidam buccinis clangentes, eosque Elephantes postmodum tanta grauitate sequuntur, vt intelligere eos instrumentorum sonum iurares. Si quid ipsis imperes, diligenter statim omnia exequuntur, & sese ita exhibent, vt præter sermonem ipsis deesse parum ad perfectionem dicas. Quod si vero quid intermittant, nõ eò fit quasi quid imperatum fuerit ignorent, sed quod pertinaces aliquando, obstinato animo imperium negligant.

Rex singulis fere diebus sese conspiciendum præbet, cumque arce sua in ciuitatem egreditur, non patitur quemquam aduentum eius fugere, libenter enim & subditos suos videt, & se ipsis videndum præbet, quod quidem à consuetudine parentis sui prorsus alienum esse perhibent. Erat tum temporis, cum mercatores nostri eum viderunt, 50. plus minus annorum, filius vero eius annum 25. agebat, quamuis ex vultu de ætate eorum iudicari, cum barbas non alant, facilè non possit. Area arcis, quam Rex inhabitat, tantæ est capacitatis, vt maximam quamque Venetiis bis superet. Portas præter illam de qua supra dictum adhuc duas alias habet, ponte versatili

& firmo

& firmo armatorum præsidio munitas. Ad dextram aulæ istius, vbi stabula elephantum præterieris, sacellum est, auro vndique obductum, & tantopere eleuatum, vt ascensus ad illud decem gradibus fiat. Sacelli huius pars anterior, qua ortum respicit, annexum quasi altare habet, cui statua quædam ex solido auro constans imposita est, hæc coronam in capite gestat, à qua ad frontem statuæ vsque pyropus siue carbunculus dependet, magnitudine sua vel prunum superans, ad tempora autem nitentes saphiri demittuntur, reliquum coronæ pretiosissimis gemmis ita oppletum est, vt vix aliud quid præter gemmas in ea conspiciatur, statua ipsa virum magnitudine æquat, & palleo aureo, ab humero dextro ad femur vsque sinistrum demisso, multisque saphiris & carbunculis micante ornata est. Præterea in sacello hoc tres adhuc aliæ statuæ ex argento fusæ, longitudine duorum palmorum auream illam superantes, & coronis aureis, multisque gemmis exornatæ cernuntur. Sed & statua alia argentea excauata alio in loco, miri artificii, & alia ex *Ganza*, cupro nimirum & stanno, quæ pecuniæ vulgaris materia est, reperiuntur, quas omnes Regis huius pater eo quidem tempore parari, & in sacellum hoc collocari iussit, quo imperium in *Sirian*, expugnata nempe ciuitate *Sirian* nactus est, à quo quidem tempore Rex alborum Elephantium vocari cœpit, cum bellum illud propter istas beluas exortum fuerit. Antequam ad sacellum hoc pertingas, vaccæ quædam cernuntur, ex *Ganza* artificiose admodum fusæ, quæ similiter ex superata ciuitate *Sirian* eo translatæ sunt.

Rex hic plures sub se Reges habet, qui si forte eum venire & alloqui volunt, in genua concidere, & ipsis etiam albis elephantibus honorem exhibere coguntur. Multos autem in aula sua æstimatores & tribunos ærarios habet, cum varias habeat cameras, auro, argento, cupro, stanno, gemmis, pannis, moscho, *Benzoin*, sandalio & ligno Paradisi, refertas. Auri enim, argentiq; & gemmarum ditissimus totius orbis terrarum, Chinensi tamen excepto, qui huic nihil quicquam concedit, vulgo existimatur. Si forte bellum eum gerere contingat, nihil quidem de suo expendit, impensas enim & sumptus omnes vasalli & proceres regni præstare & perferre coguntur, quicquid enim semel vel auri, vel argenti, vel gemmarum in gazophylacium & thesaurum Regis illatum est, inde non dimouetur amplius. Sane quod ad arma attinet, quæ sunt tormenta & bombardæ, lanceæ siue hastæ, gladiiq; & clypei, illa procurare & suppeditare in bellum profecturis cogitur, sed sumptuum præterea nihil.

Tormenta & bombardæ ipsorum sua & pulchritudine & præstantia nostris nihil concedunt, lanceæ siue hastæ ex validissimis arundinibus & acuminato ferro constant, gladios habent non acuminatos & ex vna tantum parte acutos, longitudine trium quartarum vlnæ Venetæ. Clypei ex duplici corio constant, quod mixtura quadam nigra fulgida, quam *Achiran* vocant, induratum & obductum est. Eiusdem vero materiæ etiam galeæ sunt, & si forsitan necessitas ita postulet, breui temporis spacio millies mille & quingenta millia militum in aciem producere Regi difficile non est. Elephantes semper ferè vltra octingentos ad bellum assuefactos alit. Sed & equorum magna ibi frequentia est, qui licet non vsque adeo generosi & feroces sint, vsibus tamen quotidianis, quemadmodum & illi, quos in *China* habent, satisfaciunt. Bubuli colore sunt cæruleo, Elephantibus ferè magnitudine pares. Aliorum vero animalium commemoratione supersedendum censeo, cum nullum eorum, quæ apud eos quidem reperiuntur, deesse ipsis videatur. Tormenta quidem maiora & minora multa habet, sed nemo

eſt,qui ea tractare poſſit,ſimiliter & triremes,nauesq; præſidiarias plurimas parare poſſet. Verum cum eas regendi & gubernandi peritos nullos habeat, ne parandas quidem cenſet,& ſi forte in bellum abeundum ſit, præter ſclopos manuales,tormentorum nihil ſecum ducit,illos vero Æthiopibus quibuſdam ex *Bendala* oriundis committit, licet ipſis,tanquam peregrinis,non vſque adeo multum fidere dicatur.

Vt autem de bello inter Regem *Pegu* & Regem in *Avua* geſto, prolixius aliquid commemorem, ſciendum eſt, Regem in *Avua* defuncti Regis in *Pegu*, qui moderni Regis pater fuit,fratrem quidem germanum, ſed nihilominus tamen ei ſubiectum & tributarium fuiſſe. Hic,defuncto Rege fratre ſuo,conabatur eius filium regno pellere,illudq; ad ſe transferre, exiſtimans ſibi tanq̃ ſeniori Regnũ illud præ cæteris deberi. Recuſabat igitur ad inueſtituram & coronationem moderni Regis cõparere, & ei cum reliquis Regibus Principibusq; fidelitatis iuramentũ præſtare. Præterea tributũ etiam gemmarum,quod fratri quotannis perſoluerat,huic Regi denegabat,&, quod omnium maximũ erat,cõmercia mercatorib. intercludebat,gemmasq; diuendere nemini permittebat. Cæterũ vt Regem *Pegu* ſuperare facilius poſſet,amicitiam cum aulicis & pręcipuis proceribus eius,iureiurando eos ſibi obligans,contrahebat,quod licet Rex non ignoraret,diſſimulabat tamen, memor ſermonis illius,quo à patre ſuo iamiam morituro admonitus fuerat, vt Regem in *Avua* patruum ſuum ſibi cõmendatum præ aliis haberet,tandem tamen per Legatum ei ſignificabat,ſe contemptum & contumaciam hanc ęgre ferre,nolle tamen aliquid grauius in eum ſtatuere,ſi ad officium reuerſus faceret impoſterum,quæ viuente patre ſuo feciſſet. At vero Rex vt cauſam belli daret,Legatum hunc trucidari curabat,fretus beneuolentia aulicorum Regis,qui in medio pugnæ feruore à domino ſuo deficere,& ſuis accedere partib. iureiurando confirmauerant. Rex igitur iratus apertum ei bellum denunciat,poſtmodo conuocatos proceres,Pręfectosq; militum & omnes quos in cõfœderatione cum Rege in *Avua* eſſe ſciebat,quaſi ſeos ſim in cauſa belli huius auditurus,ergaſtulo includi,& vno die omnes viuos cremari curat. Ne autem videretur tyrannicè agere,ſed iuſtitiam in ſceleratos exercere,denunciat *Degagini*,qui proceres illos cremauerat,vti,donec nouũ mandatum aureis literis ſua manu exaratum acciperet, nihil inceptaret & moliretur amplius. Interea liberos etiam & vxores iam interfectorum procerum,inter quas multæ grauidæ & partui vicinæ erant,cum vniuerſa eorũ familia, cõquiri & ergaſtulo includi,miſſisq; ad *Degagini* literis, eodem ſupplicio affici curabat,quæ quidem etiam eodẽ in loco,vbi mariti & viri eorũ perierant,poſthabito omni earũ eiulatu & ploratu, igne miſerè crematæ & interfectæ ſunt. Dicebatur autem numerus eorũ, qui hoc ſupplicio affecti fuerant,quatuor millium eſſe,eratq; omnib. tam in veteri,quã in noua ciuitate exiſtentibus peculiariter per miniſtrum Regis iniunctum,vt ad locum ſupplicio deſtinatũ accedentes,executioni iudicii huius intereſſent,quod quidem miſerabile admodum & triſte aſpectu erat,præſertim cum ne infantibus quidem & facinoris huius per ætatem nulla ratione cõſciis parceretur.

Peractis hiſce omnib. Præfectos & proceres reliquos,qui coniurationis huius ſocii non fuerant cõuocans,ita Rex allocutus eſt:vidiſtis,inquit,quid de proditoribus noſtris factum,veſtrarũ igitur partium fuerit,officio veſtro fideliter poſthac præeſſe, & exercitũ quam poteſtis maximum primo quoque tempore colligere: nam & ego ipſemet in bellum vobiſcum proficiſci, & nõ niſi ſuperato perfido hoſte & patruo meo,redire omnino cõſtitui.His auditis Præfecti officio ſuo diligentiſſimè fungentes, breui tempore ex vna

atque

atque altera ciuitate plus quam trecenta millia virorum in aciem producebant, Rex vero gladio, nostris simili, quem à *Vice Re* seu Præfecto Regio in *Goa*, cui nomen *Luigi di Taida* est, dono non ita pridem acceperat, armatus post dies aliquot in Elephante auro gemmisq; ornato sedens, sese in ciuitate passim conspiciendum exhibebat. Cæterum ciuitate cum exercitu egressus, albis tamen Elephantibus domi relictis, puerili paulo post variolorum siue morbillorum, vt vocant, morbo correptus, dies aliquot decubuit, postmodo conualescens ad monomachiam siue duellum Regem in *Avua* prouocabat, exercitu vtrinque quiescente, exceptis vtriusque partis satellitibus, quorum quilibet suum sibi etiam virum, quo cum cõcertaret, eligebant, donec ad pugnam plenariam & perfectam vtrinque veniretur. Congressi igitur Reges, licet sclopis primum, postmodo sagittis & gladiis tandẽ inuicem certassent, & omnem quilibet pro superando altero diligentiam adhibuissent, nihil tamen proficere poterant, donec Elephas Regis *Pegu* in dente læderetur, quem alter ipsi perfregerat, dolore enim inde percipiens, quasi œstro percitus, magno impetu in alterũ ferebatur, Rexq; in *Pegu* occasione hac obseruata, gladium in Regem *Avua* tanta fortitudine vibrauit, vt percussus animam statim exhalaret. Concidebat autem simul Elephas Regis in *Pegu*. Rex igitur, in brachio altero nonnihil vulneratus, elephantem Regis in *Avua* modo trucidati conscendit, & victorem se palam ostendit.

Cum igitur copiæ Regis in *Avua* viderent Regem & Dominum suum in prælio succubuisse, remittentes statim à pugna, sese in potestatem Regis *Pegu* tradiderunt, qui hilari eos vultu accipiens, ciuitatem *Avua* desolari, & omnes quotquot in ea reperirentur in captiuitatem abduci præcepit, inter quos quidem & Regina erat, quæ licet ægre casum hunc ferret, solabatur tamen sese eo, quod Regem *Pegu* fratrem suum sciret, & propterea conditionem tolerabiliorem aliquanto speraret. Sed nihilominus tamen ad perpetuam custodiam damnata, & postmodo in palatio quodam Regio splendide semper habita est. Quicunque fuga elapsi captiuitatem euitauerant, in syluis & desolatis postmodum locis inter feras bestias vitam agere coacti sunt, propterea, quod Rex patrui sui, trucidati nempe Regis in *Avua* thesaurum, quem magnum admodum habere dicebatur, exquirere & inuenire non potuerat.

Factum est hoc bellum sub initium Aprilis, eo ipso tempore, quo illis quidem in regionib. hyems & multiplices pluuiæ ingruere solent. Emansit autem Rex ad 14. vsq; Iulii, quo cum nemine id cogitãte domum rediret, & excubias nõ eo quo perceperat modo constitutas inueniret, Principẽ filium suum ad se accersiuit, causam negligentiæ huius cogniturus, qui eum facile reconciliauit, significans ei, quod Imperatoris in *Silon* filius, cum quinquaginta elephantibus, octingentis equis, & multis militibus, absente Rege in veterem ciuitatem *Pegu* aduenisset, auxilium Regi contra hostem suum laturus, & quod ei quosdam adiunxisset, qui eum ad *Avua* vsq; comitarentur, cognouisset vero postmodum ex reuersis comitibus, eum ex ciuitate egressum, mutato consilio, domum iterum reuersum esse.

Interea adducebatur Elephas Regis in *Avua*, qui mortem sui domini ægrè admodum ferens, totum diem eiulando & lachrymando consumebat, & vix persuaderi poterat, vt vel parum cibi gustaret. Viderunt equidem mercatores nostri ipsimet eum lachrymantem. Et licet in locum elephantis Regii, qui in acie occubuerat, constitutos duos sibi astantes haberet ministros, qui eum consolarentur, & monerent, vt deposito tandem luctu ci-

bum caperet & lætaretur, quod longe potentiorem iam Dominum nactus fuisset, parum tamen proficere apud eum poterāt, finem enim lachrymandi facere nolebat, & in signum luctus sui promuscidem semper in terram propendentem habebat. Tandem tamen cum 15. dies in luctu fuisset, apposito iterū cibo vesci cœpit, quod Regem quidem non parum exhilarauit, qui dentes demortui sui Elephantis ad statuas idololatricas adhibuit, quarum quinque ex *Ganza* mirabili aspectu parari curauerat, sedebant enim cruribus in formam crucis dispositis, & nihilominus tamen tanta altitudine erant, quantum vix iactu lapidis assequi potuisses, digitis pedum viri alicuius staturam superantibus. Has statuas auro vndique obduci & in patenti loco ante arcem suam collocari iussit.

Cæterum bello hoc finito Rex in *Silon*, missa ad hunc Regem, cui subiectus erat, legatione, non parum se dolere significat, filii sui, quem in auxilium ei miserat nullam in *Pegu* rationem habitam, & à mancipio quasi exceptum esse, nolle igitur posthac ipsum superiorem & Dominum suum agnoscere. Rex itaque in *Pegu* Præfectum quendam cum parte exercitus oppugnatum Regem in *Silon* misit, qui cum non paucos in obsidione ab æstu nimio amisisset, videretq; ciuitatem *Silon* ferè expugnatu impossibilem esse, obtinere quidem amplius nihil potuit, quam quod promitteret, se honorem quidem Regi in *Pegu* exhibiturum, pro Domino autem suo, & qui se maior esset, nequaquam eum habiturum. Non parcebat quidem Præfectus vllis laboribus, sed nihil tamen proficere poterat, ciuibus magna alacritate repugnantibus: ædificia enim eorum ex ligno constant, & cum mare hyberno tempore valde crescere soleat, supra modum eleuata sunt, scapham sibi adiunctam habentia, vt ex vna domo in aliam traiicere possint, sed & lignis mobilibus quædam insistunt, vt necessiatis tempore ex loco vno in alium transferri possint, & eiusmodi domibus, quas nauigia potius dixeris, vtuntur commercia exercentes mulieres maximè, quæ cum naues quædam adueniunt, illas quidem exonerari non sinunt, sed cum suis nauigiis statim aduectæ commercia emendo & vendendo exercent. Populus in *Silon* nobilis admodum est & fortis, albi coloris, qui potentiam Regis in *Pegu* nihil veretur, licet huius Regis in *Pegu* pater ciuitatem eam cum octingentis millibus armatis sibi subiugarit: nam omnis illa militum vis longe minor fuisset, quam vt ciuitas hæc expugnari potuisset, nisi per proditionem in ciuitate aliqui portam alteram Regi aperuissent, tunc enim ea expugnata & multi Lusitani captiui abducti sunt, quos Rex tamen postmodo omnes iterum dimisit, aliter eos facere non posse affirmans, quā à Rege in *Silon* iussi essent.

Ingens interea incendium in ciuitate *Pegu* ex domo quadam Lusitanica initium sumens, vi ventorum ita excitatum & inflatum est, vt quatuor mille plus minus ædificia, quemadmodum etiā sacella quædam idololatrica, in quibus superstitiosas conciones suas habere consueuerant, igne deformata perierint. Rex igitur, more solito, diligenter in eos inquiri curabat, à quibus incendium hoc exortum esset, cumque in nauarchi istius Lusitanici ædibus initium illud cepisse constaret, qui mercatores nostros in *Pegu* traduxerat, non exiguo in metu omnes erant, verentes fore vt igne simul omnes cremarentur. Sed Rex nihil seuerius in eos statuens, dixit, bonum istum virum studio quidem & data opera incendium hoc nequaquam excitasse, & propterea causæ se nihil inuenire, cur pœnam de eo seueriorem sumeret. Metum alioqui mercatoribus nostris etiam harioli cuiusdam consilium auxerat, qui non posse Regem ciuitatem *Silon* expugnare, nisi ciuita-

ciuitatem aliquam, quod & à parente eius olim factum fuerat, igne vastaret atque deleret. Sed persuaderi Rex, vt hoc faceret, nullo modo poterat, filio præsertim eius idipsum etiam dissuadente, qui singulari est humanitate, & bombardis, sclopisque maximè delectatur, cumque per plateam exire vult, ab aliquibus ministris in throno quodam Regio sedens gestatur, quod ipsum quidem etiam tres eius fratres minores in more habent, vt in sella vndique cooperta per plateas gestentur. Atque hæc de ciuitate *Pegu*, & aliis in ea memorabilibus, dicta sufficiant.

CAPVT XXXVIII.

De venationibus Elephantum in Pegu.

SOLET interdum Rex in *Pegu* venationes Elephantum instituere, quæ quidem visu omnium sunt iucundissimæ. Sunt autem carceres in ciuitate ad hunc vsum destinati, qui ex columnis ligneis tanto interuallo à se inuicem distantibus cõstant, vt homines quidem transmittant, beluæ autem istæ transitum inuenire nõ possint. Cum igitur venationes instituere Rex cupit, dimittuntur fœmellæ quædam Elephantes in syluam, quæ ad hanc rem assuefactæ sunt, & linguã hominũ istorum intelligunt. Antequam autem exeant fœmellæ istæ, peculiari quodam oleo partes obscœnas inungunt, cuius odorem percipientes Elephantes tanto amore erga fœmellas accenduntur, vt neglecta omni astantium multitudine, eas in ciuitatem & ipsos carceres sequantur. Cæterum ingressis illis adsunt statim, qui pessulum obiiciant, & exitum ipsis præcludant. Hoc facto fœmellæ quidem stabula sua quælibet repetunt, quæ præter bestiam vnam non admittunt, & à venatoribus statim occluduntur. Remotis autem fœmellis tandem sentiunt Elephantes se captiuos & libertate sua priuatos esse, moxque in furorem quasi versi, totis viribus sese liberare conantur, exhibentque astantibus spectaculum visu admodum iucundum, gemunt enim & lachrymantur, currentes ex vno loco in alium, & in homines magno cum impetu irruentes, donec cursu nimio defatigati sudorem toto corpore emittant, tunc enim promuscidem in terram inserunt, tantamque aquarum copiam ex corpore suo prouocant, vt astantes omnes madefiant. Cum autem stabulis illos includere volunt, fœmellas iterum producunt, quæ præcedentes eos ad stationem destinatam siue stabulum traducunt, quod quidem tam angustum est, vt præter bestiam vnam non admittat, itaque fœmella progrediens stabulo emittitur, ipse vero Elephas ad columnam alligatus ibi detinetur, donec mœrore & inedia confectus (cibum enim potumve aliquot diebus non admittit) cicuretur, quod quidem octo dierum spacio fieri solet, quo facto ministri ei adduntur, qui curam eius agant & ad bellum aliaque officia eos assuefaciant: magnus enim eorum in bellis vsus est, siquidem quatuor viri vni elephanti simul & semel insistere, & sese contra hostem, bombardis, lanceis, arcubus gladiisque tueri quam rectissimè possunt, cum non solum ingenti sint magnitudine & robore, sed & pellem habeant tam crassam, vt displosioni sclopororum præterquam iuxta tempora & oculos nequaquam cedat.

Capvt XXXIX.

De festis & solemnitatibus in regno Pegu *vsitatis.*

HAbet Rex in *Pegu* naues aliquot auro vndiq; obductas, quibus nemo præter ipsum vehitur. Inter alias autem vna est, quam Regis huius pater in suum vsum parauerat, hæc in *Maccão*, loco quodam concluso, à militibus quibusdam custoditur. Similem enim in toto mundo non haberi dicunt; auro enim non solum interius sed exterius obducta est; sed & tam pulchra & artificio cælatura constat, vt sine magna admiratione eam intueri nemo possit. Eximia est lõgitudine, sed angustior quam pro ratione longitudinis esse debebat, habetq; remos ab vtraque parte centum & quinquaginta, auro ad interiorem vsque partem, quæ vndis inhæret, obductos, quos remiges totidem tanta æqualitate ducunt, vt instar sagittæ alicuius auolare videatur. In medio huius nauis domus est occlusa, & fenestris vndique conspicua, clauus vterque, vt nauis ipsa, totus inauratus est.

In more autem positum habet Rex, vt domum ex itinere reuersus, sese palam videndum exhibeat: itaque cum ex bello, de quo supra dixi, reuerteretur, in loco publico sese sistens, proclamari curabat, vt qui se conuentum vellent, accederent & causam suam proponerent. Hoc facto accedens primo Princeps, Regis nimirum filius natu maximus, cùm honorem ei exhibuisset, munera sua, quatuor Elephantes & res alias, obtulit. Hunc sequebatur *Brama* maior, offerens Elephãtes duos. Veniebant post eum, quos ipsi *Bagio* nominant, hoc est Duces, Comites, Equites, Nobiles & Præfecti alii, offerentes singuli munera sua. Tandem & mercatores nostri cum Lusitanis aliis munera & honorem ei deferentes accedebant. Declarabat autem sese Rex admodum benignum, & munera illa sereno vultu accipiebat, nihil enim est quod ipsi magis placeat, quam subiectio & obedientia, quod aulici quidem eius non ignorant. Itaque cum media hyeme canalem forte quendam parari curaret, accederetq; subinde cum aulicis suis, visum quid operarii facerent, præcipui quique palas & ligones apprehendentes, neglecta pluuia operarios iuuabant, vt opus eo citius perficeretur, Regi officium gratissimum hoc modo facientes.

Populus alioqui ceremoniarum & legis suæ obseruantissimus est, & inter alia festa annua quinque admodum solemnia habet, quorum primum, *Sapan Giachiè*, secundum *Sapan Catena*, tertium *Sapan Giaimosegienon*, quartum *Sapan Daichè*, & postremum *Sapan Donon* vocant. Primum, nempe *Sapan Giachiè*, itinere duodecim leucarum à ciuitate *Pegu* celebratur, quare vt Rex tempestiue satis eò pertingat, die Parasceues siue festum præcedente, iter ingreditur. Cumque festum iam celebrandum est, ipse quidem currum triumphalem, auro vndique obductum, & quatuor rotis insistentem, tegmine superimposito, conscendit, Reginamque suam pretiosissimè exornatam, à dextris sibi assidentem habet, ipse vero caput multis margaritis, inæstimabilis precii ornatus est, inter quas duo carbunculi, quorum quilibet duos dactylos magnitudine sua excedunt, ad aures vtrinque propendent, præterea linea pretiosissimarum gemmarum à dextro humero ad vmbilicum vsque demittitur, & inde sub alam siue axillam sinistram ascendit, tanto fulgore intuentium oculos perstringens, vt visum hebetare videatur, taceo iam annulos aureos, quos digitis suis gestat, carbunculis, adamantib. & smaragdis fulgentissimis conspicuos. Circum currum triumphalem gynæceum consistit, ex Regum aliorum, procerumq; filiabus collectum, quæ omnes

Festum Sapan Giachiè.

omnes flexis genibus, & complicatis manibus, Regem coniugemq; eius honorant. Currus autem ipse octo generosissimis vnius coloris equis, auro & gemmis nitentibus, protrahitur, incedentibus iuxta eos Præfectis aliquot, qui funiculos manibus tenentes, equos sese in protrahendo curru iuuare simulant.

Cæterum ordo, quem Rex arce sua egressurus seruat, is est, principio Principis, filii nempe Regis natu maioris ministri aulici, tribus ordinibus distincti. Primo enim lancearii, secundo sclopetarii, & tertio qui gladios clypeosque gestant, incedunt, in medio agmine Elephantes eius armati conspiciuntur, ipse vero omnes hos ordines equo præstantissimo insidens sequitur. His autem præmissis, nouum iam agmen intermedii filii, *Naidu* dicti, ministri inchoant, qui & ipse equo insidens incedit. Sequitur postmodo filius tertius *Naimor*, & post eum ministri Regis aulici, quatuor ordinibus distincti. Primo enim lancearii magno numero, postmodo sclopetarii, mox sagittarii, & tandem qui gladios clypeosq; gestant, incedunt, mixtis hinc inde Elephantibus, eodem quo in bellum abeunt modo ornatis. Vbi totum hoc agmen præteriit, sequuntur postmodo Duces belli cum Præfectis & aliis aulæ proceribus, post illos duo Elephantes rubri, panno Attalico instrati, & quatuor Elephantes albi, auro & gemmis pulcherrimè exornati procedunt, theca siue capsula quadam dentibus singulis imposita, quę carbunculis tota referta est, vnde non parum ipsis gratiæ & decoris, quemadmodum etiam ex vmbraculo, quod solem à corporibus eorum prohibet, conciliatur. Interea currus triumphalis, cui Rex insidet, aduehitur, sequētibus præcipuis & primariis aulæ proceribus, qui omnes, quemadmodum etiam præcipuæ quædam ex gynæceo mulieres, equis generosissimis insident.

Alterum festum *Sapan Catena* in vrbe *Pegu* celebratur. Quilibet autem procerum, vtpote Duces & Præfecti alii peculiares pyramides siue columnas parant, alia atque alia forma: nam ante festum hoc nemini columnam alterius videre permittitur, artificibus se in secretiorem quendam locum concludentibus, & ab aliorum dum in opere sunt conuersatione sese subducentibus. Adhibent autem crassas arundines Indicas, & adhibita cælatura varia, auro obductas curribus imponunt. Cumque Rex arce sua egressus est, protrahuntur à plus quam trecentis ministris, & coram Rege sistuntur, vt iudicium de singulis suum exponat, & laudem cuiq; suam attribuat. Postquam igitur Rex vnamquamque diligenter intuitus est, & artificiosissimam sua laude ornauit, singulæ ad Dominum suum reuertuntur. Per totam autem noctem ingentes cerei in plateis hinc inde dispositi ardent, ne qui magnam illam statuam seu idolum inuisere expetunt, in tenebris fortè offendant, portæ enim ciuitatis nouæ per noctem istam non clauduntur, vetus vero ciuitas portas nullas habet, atque ita ad idolum istud liber omnibus accessus patet. Accedentes autem vacui non apparent, sed munusculum aliquod siue magnum siue paruum, prout fert fortuna cuiuscunq;, afferunt. *Sapan Catena.*

Tertium festum *Sapan Giaimosegienon*, peculiare quoque idolum habet, coram quo Rex currui triumphali insidens, certo & definito tempore, eodem quo supra dixi ordine, aduectus comparet, alio tamen, quemadmodū & Regina & Principes filii eius, vestitu indutus. *Sapan Giaimosegienon.*

Quartum *Sapan Daichè*, festum aquarum est, quod in veteri ciuitate loco quodam auro vndique exornato celebratur. Rex igitur curru suo aduectus, locum istum cum Regina & Principibus filiis suis ingreditur, seq; aqua *Sapan Daichè.*

rosarum

rosarum quemadmodum & proceres aulicique alii omnes inspergunt. Extra enim locum hunc Regi destinatum, in patenti campo Duces belli, Præfectique & ministri alii longo ordine consistentes singuli vascula aqua rosarum repleta manibus tenent, seq; mutuis aspersionibus tam madidos reddunt, vt fluuio quasi egressi videantur. Pater quidem moderni Regis defunctus in more positum habuisse dicitur, vt, dum populus aqua sese ita perfunderet, Elephantem ipse interea admodum formidabilem emitteret, qui multos furore quasi percitus prosterneret & trucidaret, vnde ipse quidem ad risum; populus vero ad lachrymas & eiulatum commotus est. Diebus autem huic festo destinatis, nemo per plateas veteris nouæque ciuitatis incedere potest, quin per fenestras (ita enim moris apud eos est) aqua perfundatur.

Sapan Donon. Quinto festo, quod *Sapan Donon* vocant, Rex cum Regina nauem suam, auro pulcherrimè exornatam ingressus, in ciuitatem *Meccao* cum tribus suis filiis, qui singuli peculiares naues habent, traiicit, comitantib. eos proceribus & aulicis omnibus, ita vt centum & amplius nauigia ibi congregentur. Portum autem assecuti in terram descendunt, domumque Regiam intus & exterius auro obductam, & pulcherrimo horto circumdatam ingrediuntur, vt prospicere de fenestris Regina cum Gynæceo suo possit. Nobiles enim proceresque inito certamine cum nauigiis suis ad domum istam Regiam velificationem instituunt, quique primus metam assequitur, præter laudem & gloriam statua aurea potitur, quæ in hunc finem ad metam exposita est, qui secundus metam attingit, statua argentea donatur, reliqui ludibrio habentur, & qui postremus omnium accedit linteum à Gynæceo ignominiæ notam accipit. Nauigia autem singula duos tantum remos habent, itaque singuli summo studio ad metam cõtendunt, vt laudem inde reportet. Durat enim festũ hoc mensem integrum, licet non singulis diebus, sed post alterum plerunque diem celebretur.

Cæterum quamuis plura alia festa à Rege subinde instituantur, hæc tamen præcipua sunt, & certis per annum temporibus celebrantur. Solet interdum Rex idola quædam curribus aliquot inauratis imponere, & locum aliquem, ad quem traducantur, constituere, eleemosynas inter eos, qui currus protraxere, quorum 300. sæpenumero ad currum vnum numerantur, distributurus. Sed & per plateas aliqui incedere, & flores omnis generis in reti gestantes, & eleemosynam colligentes subinde cernuntur.

Porro in more positum habent, vt corpora eorum, qui *Talapoi* ipsis vocantur, semel in anno lauent, aquamque eam tam sanctam habeant, vt in potum eam assumant. Rege aliquo demortuo naues duas cum tegmine aureo vtrique naui conueniente, & eleuato in medio theatro aureo, parant, postmodo corpus defuncti Regis theatro imponunt, adhibitis fragrantissimis lignis moschoque & rebus aliis, theatrum accendunt, & fluctibus maris committunt, adhibitis in naui altera *Talapois* quibusdam, qui nauem comitentur, ipsi vero canendo tempus transigunt, donec in cinerem corpus redactum esse cognoscant. Tunc enim ex cinere hoc, affuso lacte, massam faciunt, eamque in faucibus portus *Sirian* aquæ, per æstum maris recedenti, committunt, ossa vero residua ad locum alium traducunt, extructoque sacello quodam rotundo in terram sepeliunt. Hoc facto ad arcem regiam reuersi, Regis defuncti filium, adhibitis certis ritibus, Regem faciunt & in thronum defuncti patris collocant. Ossa quidem defuncti senioris Regis, qui moderni huius pater fuit, in *Dogon* sepulta sunt, qui verò ante ipsum fuerunt, eorum ossa ad illam, quæ sibi quilibet paulo ante mortem

tem elegerunt, loca translata sunt, quæ quidem omnia templo aliquo donata cernuntur, sed longè tamen à postremo hoc, quod *Dogon* vocatur, præstantia & splendore superantur.

Talapoi siue monachi & sacrificuli in *Pegu* per totam ciuitatem mendicantes incedunt, appensa olla ad cingulum, in quam cibum colligant, qui ipsis abundè communicatur. Habētur enim vulgo sanctissimi homines, vtpote, qui singulis Lunæ diebus conciones habere, & legem horum populorum explicare solent. Illis enim diebus summo mane surgentes, per omnes ciuitatis plateas cum pelui incedunt, & pulsando populum excitant, vt cibum sibi parent & ad conciones accedant, quibus finitis canere incipiunt, & populum iterum dimittunt. Nihil autem in concionibus suis præter particulam aliquam secundæ Tabulæ tractant, monentes populum ne furentur, ne occidant, ne scortentur, & ne iniuria aliquem afficiant. Omnes enim in ea sunt sententia, eos, qui neminem lædunt, proximumq; suum beneficiis afficiunt, cuiuscunq; sint religionis, ad locum beatitudinis post mortē suam peruenire, itaq; si fortè aliqui ad Christianam religionem accedēres baptismum admittant, ęgrè id nequaquam ferunt. Tametsi vero elato animo sint, licet aliis longe inferiores existant, mansueti tamen sunt, benefici & liberales, quod illi maxime experiuntur, qui peregrinantes, vnde viuant nihil habeant, illis enim victum abunde suppeditant, quemadmodum etiam *Talapoi* siue monachi ipsorum, tam apud Regem, quam apud populum alium, in magna existimatione habentur.

Ædificia sua hi *Talapoi* in syluis habent admodum à terra eleuata, vt tuti à tigribus esse possint, semel tantum in die cibum capiunt, tunica oblonga mixti ex rubro & nigro coloris vtuntur, pedibus autem nudis & aperto capite incedunt, crines nec in barba nec in vlla corporis parte alentes; tunicam cingulo coreaceo quatuor digitos lato colligunt, & stolam ex dextro humero ad latus sinistrum demittunt. Pro auertendo solis æstu vmbraculum gestant ex gossypio eiusdem cum vestitu coloris factum. Vitam autem pudicam agunt, & honestatem in incessu eximiam præseferūt. Mortuo ex ipsis aliquo, festum per aliquot dies agitur multis ei assistentibus, & corpus eius tandem, Sandalii & Paradisi, aliisq; odoriferis lignis adhibitis, magna cum solemnitate comburentibus, quo facto cineres quidem in aquam proiiciunt, ossa vero reliqua in terra iuxta ædificium eius sepeliunt.

In morbo vel calamitatibus aliis constitutus votum Diabolo facit, ne plus miseriarum sibi immittatur. Quemadmodum enim Deum causam omnis boni; sic vice versa Diabolum malorum omnium auctorem statuunt. Itaque votum aliquod fecerunt: magno cum apparatu aram quasi quādam admodum eleuatam extruunt, mappam insternunt, & variis floribus exornant, apponētes simul cibos omnis generis, quib. saturatus Diabolus, cesset imposterum eos affligere. Quin & instrumenta musicalia & cantiunculas varias pro oblectando Diabolo adhibent. Virum enim quendam huic solemnitati & festiuitati præfectum habent, quem Diaboli patrem vocant. Is, quæ ad festum hoc necessaria sunt, comportat, & musicam, qua Diabolum maximè delectari nouit, adhibet. *Talapoi* quidē siue monachi ipsorū pro abrogando hoc festo admodum laborant, & conciones suas contra illud subinde dirigunt; sed nihil apud populum proficere & obtinere valentes, vel inuiti illud tolerare coguntur. Quin & aliqui reperiuntur, qui quamprimū cubitu surgunt, sportam oryza & cibis aliis repletam arripientes, & tædas ardentes manibus gestantes hinc inde per plateas currant, & Diabolo sese alimentum afferre apertè profiteātur, vt per diem istum tuti ab iniuriis eius

esse possint, addentes & hoc, si canes fortè sese sequi cernant, Diabolum eos instigare & cogere, vt cibos istos colligant & suo nomine deuorent. Reperias etiam aliquos, qui cibum non capiant, nisi primum totum post tergum abiectum Diabolo obtulerint. Ditissimi quiq; in terra *Tavaë*, quæ & ipsa ad Regnum *Pegu* pertinens huic Regi subiecta est, tres menses quotannis in pagis habitant, domosq; suas omni alimentorũ genere repletas Dæmonibus interea habitandas relinquunt, idq; eam, vti dicunt, ob causam, vt reliquis nouem mensib. eò benigniores eos experiantur, & tyrannidem eorum metuere non cogantur.

In vniuerso hoc regno nihil præter oryzam crescit, gallinis autem, capris, anatibus, anseribus, columbis, & suibus, regio admodum abundans est, sed columbas peregrinis haud facilè vendunt, cum delicatissimus ipsorum cibus sint, quo ipsi libentissimè vescuntur. Vespertilionibus loca omnia repleta sunt, & multum damni hominibus ab illis infertur. Cæterum incolæ pisciculos quosdam minutos magna copia in massam contundere, & soli postmodum exponere solent, vt cõputrescant & fœtorẽ contrahant. Hanc massam ad oryzam & cibos alios loco butyri vel olei adhibent, & licet fœtore suo vel demortui canis cadauer superet, tanti tamen faciunt, vt vel Rex ipsemet omnib. eam deliciis præferat, & cibos hac massa non conditos repudiet. Gallos habent collo & cruribus tam crassis, vt similes nusquam reperiantur. Mulieres in cibum eos parare volentes collo ipsorum insident, vt suffocentur & nihil sanguinis amittant. Sed & aliud gallinarum genus habent, quod *Lorine* vocant, magnitudine turtures non excedunt, sed pulchritudine sua omnes aues reliquas longè superant. Inter edendum autem foliis vtuntur, hederam nostram referentibus, quæ *Betel* vocant, & viua calce aspersa in cibum assumunt.

Ementes & vendentes verbũ nullum faciunt, sed datis inuicem manib. cũ linteolo quodam, quid facto opus sit intelligũt. A *Mascaratis* siue laruatis hominib. admodum sibi metuunt, itaq; cum mercatorum nostrorum famulus quidam alligato in pectore & in tergo puluinari tunicam oblõgam siue cucullum indueret, atq; ita laruatus in publicum procederet, tantum ipsis metum & timorem incussit, vt etiam fortissimi quiq; equis insidentes fugam arriperent.

Cæterum populus hic Sodomiticis olim peccatis & libidinib. totus deditus fuit, hoc vero Regina quædam tali ratione correxit. Mandatum promulgauit, quo omnes masculi excauatos aureos vel argẽteos globulos, ꝓut cuiusq; ferret conditio, inter carnem & cutem virgæ insertos gestarent, capitis pœna secus facientib. imperata. Cum autem dolorẽ quisq; metueret, rationem, qua huic mãdato satisfacerent, talẽ excogitarunt. Adolescentes, cũ eam assecuti sunt ætatẽ, vt mulieres iam appetãt, ad impudicas mulieres ducunt, iubentq; quamcunq; velint eligere, vt expleuerunt autem libidinẽ, poculum eis soporiferũ præbent, & profundissimo eos somno immergunt. Cæterũ dormientibus cultello cutẽ penis vndiq; à carne liberant, insertoq; ab vtraq; parte globulo, vnguentum siue emplastrũ efficacissimum adhibẽt, vt paucis diebus cicatricem ducere & coalescere iterum possit. Hoc facto virgæ in viris ita intumescebant, vt inutiles omnino ad Sodomiam redderentur, & pueri dolorem metuentes virum nullum imposterum admitterent. Cæterum nullas omnino in hoc regno virgines reperire licet. Puellæ enim omnes statim à pueritia sua medicamentum quoddam vsurpant, quo muliebria distenduntur, & aperta continentur, idq; propter globulos, quos in virgis viri gestant: illis enim admittendis virgines arctiores nullo modo

ſufficerent. Vt autem ad amorem mulierum viri eò magis inuitarentur, cõſtituit Regina illa, vt brachiis totoq; pectore ad vmbilicum vſq; nudæ mulieres incederẽt, & præter femorale ſiue linteum tenuiſſimum nihil inducrent, quo partes pudendæ ita quidem tegerentur, vt ventus eas leuiſſimus omnium exponere oculis poſſet, & hoc quidem habitu etiamnum vtuntur. Pueri cæruleo colore ab humeris ad crura vſque ſe inficiunt, qui nullis quidem lotionibus cedit, ſed & cutem tam deformem reddit, vt horrorem incutiat viris potius, quam ad libidinem eos inuitet. Id enim hoc fine faciunt, vt illicitum virorum amorem euitare commodius, & tuti eſſe à ſollicitationibus eorum poſſint.

Vtraq; ciuitas crebris ſubiecta eſt incendiis, vix enim ſeptimana tranſire poteſt, qua non incendium aliquod ibi exoriatur, vnde ſingulis dieb. per pręconem Rex proclamari curat, vt ignis quilibet diligentem in ędibus ſuis curam agat. Cum autem frumentum præter oryzam ibi non habeant, placentis ex oryza piſtis loco panis vti, tam Luſitani quam Chriſtiani alii coguntur, loco autem vini potum ex *Anippa* arbore paratum adhibent, qui ſapore quidem bono eſt, ſed nõ omnibus conducit. Inter equitandum materiam aliquam in ore cõtinent, vnde buccę eorum intumeſcant, & dentes habent nigro colore infectos. Vxorem ducere expetens, eam præſenti pecunia à parentibus vel cognatis eius redimere cogitur, vbi vero ſatietas eius eum cepit, remittere eam quolibet tẽpore ad parentes eius poteſt, retentis tamen liberis quos ex ea ſuſcepit. Sed & parẽtes cognatiq; vxoris eam repetere à viro poſſunt, ſed pecuniam tamen prius refundere, quam pro ea acceperant, coguntur. Si quem ſine liberis & heredibus decedere moriq; contingat, bona eius omnia ad Regem tranſeunt, quod ſi vero liberos habeat, inter ipſos quidem duæ tertiæ bonorum paternorum partes diſtribuuntur, reliquum vero Regi cedit.

Merces quas quis in ciuitatem *Pegu* tranſportare maximo cum lucro poteſt, ſunt panni, qui ad Sanctum Thomam in *Meſilipatan*, *Bengala*, & *Auſion* parantur, quemadmodum etiam piper, cinnamum, nuces myriſticæ, Sandalum & Paradiſi lignum: nam præſtantiſſimi zingiberis magna ibi copia eſt. Ex *Pegu* nullæ merces maiori cum lucro *Bengalam* verſus tranſportari poſſunt, quam argentum: plumbum enim ſtannum & chalybem eo tranſuehere non licet propter inimicitiam, quæ Regi cum ciuitate iſta intercedit, *Malaccam* vero verſus oryza plerunq; aduehitur. Luſitani equidem in regno *Pegu* chari & accepti ſunt, Rexq; illis bene admodum cupit, licet defuncto eius patri odio fuerint. Incolę vero huius regni ſi forte pecunia opus habeant, non ſolũ bona ſua, ſed & vxores liberosq; oppignorare creditorib. ſolent, ſed ſi forte creditor vxori vel filiæ debitoris vitiũ aliq; offerat, & debitor id reſciſcat, pignus ſuum repetere poteſt nulla ſolutione pręſtita. Creditor enim tunc debitum omne amittit, nec quicquam amplius exigere à debitore poteſt. Numerantes aliquid, ſequentibus vtuntur vocibus: *Moi, ba, pi, pon, maſun, trao, dapo, daciam, dacin, ciio*, qui ſunt numeri cardinales vſque ad decem. Pro viginti dicunt *Baciu*, pro triginta, *Piciu*, pro quadraginta *ponciu*, pro quinquaginta *Maſunciu*, pro ſexaginta *traociu*, pro ſeptuaginta, *dapociu*, pro octuaginta *daciamciu*, pro nonaginta *dacinciu*, pro centum *Colon*, pro mille *gnia*, & pro decem millibus *ſunim*. Plura hic de moribus populorum in *Pegu* annotare non libet.

CAPVT XL.

De ponderibus & mensuris ciuitatis & regni Pegu.



MNES merces,quæ ſub commercia ciuitatis & totius regni *Pegu* veniunt, eadem bilance, qua & monetæ librantur & ponderantur, vocatur autem pondus,quo vtuntur, *Biza*, eſtque vnum & idem cum *Ganza*, & valet *Biza* quodlibet centum *Ticcali*. Sed & pondere minore alio vtuntur,quod tantum 12½. *Ticcali* valet,quæ faciunt vnum *Abocco*. Duo *Abocchi* faciunt vnum *Agito*, duo *Agiti* dimidium *Biza*, & quatuor *Agiti* integrum *Biza* faciunt. Quodlibet autem *Biza* Venetiis,duas libras & quinque vncias, grauioris ponderis, vel tres libras cum vnciis nouem, ponderis minoris conſtituit, nec vllum præterea pondus aliud in toto regno *Pegu* nouerunt.

CAPVT XLI.

De itinere ex Pegu *verſus* Martaban.



ONFECTIS rebus omnibus in *Pegu*, mercatores noſtri 5. Ianuarii die, Anno 1586. *Delengo* ſiue currum conſcendentes, iter verſus *Martaban* terra ingreſſi ſunt. Sub veſperam ad vicum quendam peruenientes, per noctem illam cum multis aliis, qui ſimul aduenerant,ſub arundineto quieſcebant, non parum ſibi à tigribus & feris beſtiis aliis metuẽtes, & propterea bombardas & ſclopeta manib. perpetuo tenentes. Poſtero die continuato itinere ad vicum alium multis hominibus habitatum, vbi exhibitis ſalui conductus literis, vlterius progrediendi licentiam impetrare peregrinatores coguntur, peruenerunt. Cum autem fluuium ibi traiicere eos oporteret, & is tantæ profunditatis tunc non eſſet, vt nauem admitteret,expectandũ pauliſper ipſis erat,donec aqua ex æſtu maris iterum accreſceret. Poſtquam igitur traieciſſent, & poſtmodo montem aliquem excelſum ſuperaſſent,in pago ad radices montis pernoctarunt. Sequenti die fluuium alium traiicere cogebantur priori non diſſimilem,cumque pagum in ripa fluminis inuenirent, & iam ſyluam admodum magnam præ ſe haberent, quieſcendum in pago iſto per noctem cenſebant. Vt dies autem illuxit iterum,ſyluam illam ingreſſi ſunt,quæ tam horrida & prolixa eſt,vt tribus diebus eam trãſire & ſuperare vix poſſent. Erant autem in ſylua iſta ſtructuræ paſſim à terra nonnihil eleuatæ, in quibus à tigribus & latronibus etiam tuti pernoctare poterant: has enim ſtructuras in exilium à Rege miſſi,ſiue ob facinora & delicta enormia proſcripti,ſibi parauerant,quorum multi in ſylua iſta tum reperiebantur. Tandem igitur ſylua hac ſuperata, in pulchrum & apertum campum delati ſunt, cui inſiſtentes, iter ad duodecimum vſque Ianuarii diem protraxerunt, quo ciuitatem *Martaban* aſſecuti ſunt.

CAPVT

CAPVT XLII.


Descriptio ciuitatis Martaban, *& de moribus populorum in Regno* Dacin.

CIVITAS *Martaban* anteriori sua parte austrum respicit, extenditurque secundum longitudinem suam Orientem & Occidentem versus. Pertinet ad filium Regis, natu maiorem, Principem nempe *Manparagia*, qui prouentus omnes ibi percipit, & per Præfectum siue Vicarium suum colligi curat. Est autem ciuitas pulchra & admodum populosa. Quamuis enim per pestem, quæ paulo ante quam mercatores nostri aduenerant, grassari cessauerat, ferè tertia pars ciuitatis sublata & extincta diceretur, ita tamen omnes plateę adhuc hominibus abundabant, vt iacturam nullam fecisse videretur. Portum habet nauibus nunquam vacuum. Itaque cum mercatores nostri aduenirent, septem ibi naues depræhendebant, quarum duæ sandalii, Paradisique ligno, nucibus item myristicis, & caryophyllis onustæ, ex *Malacca* aduenerant. Cognoscebant autem mercatores nostri ex nautis aliisq; qui in nauibus istis erant, quod, si quando Rex in *Dagin* amore puellæ cuiusdam accendatur, parentem eius compellare & interrogare soleat, nunquid eam sibi in vxorem dare velit? Eo enim consentiente reliquos puellæ cognatos nihil moratur. Raro autem, dicebant, reperiri aliquem, qui filiā suam Regi permittat, propterea quod Rex sumptus nullos faciat, & pater filiam suam, etiamsi Regi nupserit, nutrire tamen & sustentare semper cogatur, itaq; ei etiam Rex, si alteri cuidam nubat, parum succensere deprehenditur.

Reperiuntur in quibusdam locis regni *Dacin* homines Anthropophagi, qui humana carne vescuntur, & *Batacchi* nominantur. Liberi eorum vbi parentes suos senio confectos vident, eos mactare, & in cibum parare solent, inuitantes conuiuas aliquot & suauiter de parentibus suis epulantes. Rex si quando de scelerato quodam supplicium sumere vult, conuocatis aliquot ex hisce populis, condemnatum donat, qui præsente Rege eum occisum, capite, manibusque & pedibus truncant, & adhibito salis piperisque paululo, carne eius cruda vescuntur. Rex istius loci vocatur Rex ab *Assi*, qui locus est piperis admodum abundans, estque magnæ potentiæ, qui breui tempore classem multarum triremium nauiumque comparare & in bellum extruere potest. Iuratus autem hostis est Lusitanorum, & ciuitati eorum *Malacca* semper insidiatur. Moris in hoc regno est, vt si forte filius patrem suum delinquere videat, eum vita priuare possit; sed rationem tamen Regi postmodum reddere cogitur, qui si causam eum sufficientem habuisse animaduertat, filium absoluit, & heredem paternorum bonorum pronunciat. Idem & in filium pater iuris habet. Est in *Bengala* fluuius nomine *Cange*, & in eo locus, quem *Gongasagie*, hoc est, fauces maris nominant, multis piscibus, quos canes marinos dicunt, abundans. His piscibus homines, qui miseriarum huius vitæ pertæsi Paradisum quamprimum ingredi desiderant, se ipsos deuorandos obiiciunt, persuasum sibi omnino habentes, fore vt anima eiusmodi à beluis marinis deuoratorum hominum rectà in Paradisum commigret.

Caput XLIII.

De ponderibus, mensuris, nummis & vectigalibus in Malacca *vsitatis.*



AD omnes merces, quæ in *Malacca* venduntur, pondus adhibetur, quod ipsi *Baro* vocant. Estque notandum non vniusmodi illud, sed pro mercium varietate varium & multiplex esse. Per *Baro* illud, quod vendendis caryophyllis adhibetur, tria *Cantara*, duo *Rubbi*, & decem *Rutoli* intelliguntur. *Cantaro* autem quodlibet, sunt 4. *Rubbi*. Vnum *Rubbi* sunt 32. *Rutoli*, atque ita *Cantaro* quodlibet sunt 128. *Rutoli*, vnde apparet quod *Baro* vnum caryophyllorum in *Malacca* faciat 687. libras minores Venetas. Sed & aliud genus ponderis in hac ciuitate habent, quod *Marco* vocant, estque æquale *Marco* illi, quo in *Goa* vtuntur, cōtinens dimidium *Rutolo* & octo vncias, seu nouem vncias minores Venetas, atque hoc genere, qui corallia & id genus alias res preciosiores vendunt, vtuntur.

Mensuræ in *Pegu* similes sunt illis in *Goa*, nempe *Covodi* & *Vare*, illas ad res preciosiores, has ad viliores adhibent.

Nummos habent pro ratione *Sacchi* & *Fardi*, & discrimine mercium varios. Minimi qui in vsu apud illos sunt, ex stanno constant, forma rotunda, in altera facie duas sagittas & quinque vulnera, in altera vero insignia Lusitanica referentes, vocantur *Dannari*, & decem huiusmodi nummi constituunt vnum *Cazza*, quod duos *Pagadin* cum dimidio continet, *Pagadini* autem 70. vix quatuor cruciatos faciunt. *Cazza* itidem moneta est ex stanno cusa, sed paulo maior quam *Danari*, licet eundem cum illis typum habeat. Duo autem *Cazza* faciunt vnum *Calain*, quæ itidem stannea moneta est, eiusdem cum præcedentibus typi, valetque quinque *Pagadin* cum quinque octauis. Quadringenta *Calain* faciunt vnum *Tangha*, quamquam in hac ciuitate quidem *Tangha* non cuditur, sed ad numerandum saltem adhibetur, valetq; 18. solidos Veneros. Hæ igitur monetæ *Danari*, *Cazza*, *Calain* & *Tangha*, omnes ex stanno constant. Præter illas autem etiam argenteam monetam habent, similem illi, quæ in *Goa* vocatur *Seraffini*. Hæc in altera quidem facie duas literas, nempe S.T. quæ Sanctæ T nomæ nomen denotant, in altera vero insignia Lusitanica exhibet, vocatur *Pataccone*, valetque sex *Tangha* monetæ melioris, quæ Venetiis faciunt 5. libras, & 12. solidos, apud nos florenum vnum & octo cruciatos, Lusitanis 360. *Reis*, quæ 6. *Tangha* constituunt. Sed & moneta aurea vtuntur, quæ paulo minor est quam *Zechin*, & non ita pridem inuenta, tempore nimirum eo, quo *Don Francesco di Costa* cum imperio ibi fuit. In vna quidem facie diadema cum duabus sagittis diuaricatim positis, in altera vero insignia Lusitanica exhibet, vocaturq; *Crociatto*, & valet 6. *Tangha* monetæ melioris, quemadmodum moneta illa præcedens argentea. *Larini* noui valent duo *Crociatto*, quæ faciunt 12. *Tangha* monetæ melioris, idque tam in *Goa*, quam in *Malacca*, si autem ad monetam Venetam eos conferas, *Larini* eiusmodi 25. solidos valent. Hi *Larini* in *Balsara* & *Ormus* cuduntur, eiusdem sunt per totam Indiam valoris, nec quicquam ex illis lucri quis percipere potest, quemadmodum etiam Reales, quos ipsi *Pardao di Reales* vocant, eorum enim valor vbique idem est, 7. nimirum *Tangha*, melioris monetæ, qui nec augetur nec minuitur.

Quod attinet ad vectigal huius ciuitatis, tam de exceptis, quam de expensis dextans siue decem de centenis soluuntur. Qui autem merces aliquot ex vrbe alio traducit, intra annum quidem vectigalis nomine nihil debet,

bet, finito autem tempore isto dextantem præstare, quemadmodum etiam mercatores exteri & peregrini alii, tenetur. Pondera, quibus in ponderandis mercibus vtuntur, *Fusto* vocant, suntque alia ferrea, alia ænea, alia lignea, quemadmodum etiam bilances siue trutinæ omnes ex asserum segmentis constant.

CAPVT XLIV.

De itinere ex Martaban *versus* Cocchi.

REBVS in *Martaban* confectis, 10. Februarii die Anno 1586. nauem mercatores nostri iterum ingressi sunt, quæ pridie eius diei ad discessum sese parauerat. Soluentes autem inde, cum quatuor dies nauigassent, appulerunt 14. ad vicum quendam *Cadaperpain*, quod caput marinarum faucium sonat, ibi enim maris initium cernitur, estque locus propter saxa & latentes scopulos admodum periculosus. Postero igitur die mare ingressi, quod lingua Lusitanica *Mare di Serpe*, hoc est, mare serpentum vocatur, cum ad 25. huius nauigassent, ad Insulam *Carnalcubar* appulerunt, feris admodum hominibus habitatam, qui humanis maxime carnibus delectantur, & ꝓpterea aduentantibus peregrinis hominib. insidias semper struunt, ex vna Insula ad aliam traiicientes, & subinde ex insulanis aliquos capientes & secũ abducentes, ab illis tamẽ, qui in hac Insula prognati sunt, abstinentes. Vescuntur quidem etiam piscibus quorum magna ibi copia est. Toti autem nudi incedunt, & nec religionem nec legem vllam nouerũt. Cęterum cum nauis illa multum aquę hausisset, & vento etiam ipsi contrario vterentur, non exiguo in periculo naufragii erant, itaque nauarchus cessante paululum vento in aquam descendens, infra nauem serpendo, rimam quærebat, per quam aqua in nauem irrumperet, inuentamq; massa quadam ex pice & calce facta obturabat, reliquis aquam ex naui haurientibus & periculo sese ita liberantibus.

Vento postmodum conuenienti exorto progrediebantur, licet ventorum iniuria fluctus subinde maximi excitarentur, à quibus non parum periculi pertimescendum erat, præsertim cum nauis illa, præterquam quod rebus necessariis parum instructa erat, mirum in modum iam etiam deformata esset. Tandem cum 17. dies ab Insula *Carnalcubar*, à ciuitate *Martaban* vero 22. consumpsissent, ad Insulam *Seilan* delati sunt. Iam igitur 1. Martii die iuxta illam nauigantes in littore sese continebant, non ausi nimirum aperto mari sese committere, ne versus Insulam *Maldauan* locum periculosissimum abriperentur. Superato autem hoc periculo, & angulo Sancti Galli in *Seilan* post tergum reiecto, aperto sese mari commiserunt, ne præsidiariis nauibus, ad propugnaculum *Columbo* pertinentibus, præda fierent. Directo igitur versus *Comerin*, locum à captura margaritarum celebrem, cursu, sub vesperam profunditatem explorantes, 18. eam orgyarum depræhenderũt. Rati itaque non abesse se à *Comerin* iam longius, sequenti statim die templum conspexerunt à nobili quadam fœmina non ita pridem extructum, quæ votum pro filio à Christianorum Deo obtinendo fecerat, cuius cum compos facta esset, se cum viro & vniuersa familia sua baptizari curauerat, templo hoc pro Paulinorum ordine excitato.

Cæterum 4. Martii ad *Comerin* aduecti, cum non procul à propugnaculo *Coilan*, quod Lusitanos dominos agnoscit, abessent, constituebant quidem ibi appellere, verum cum ventum sibi fauere cernerent, totum adhuc diem noctemq; nauigando consumentes, sequenti die ad portum *Cocchi* delati,

anchoras duas ex ligno, quod eiusdem est cum ferro ponderis, & à Lusitanis *Pao di ferro*, hoc est, lignum ferreum vocatur, constantes, proiiciebant. Cęterum naues ibi quidem multas inueniebant, nulla autem erat, qua mercatores nostri in *Ormus* reuerterentur, itaque cum 39. dies in itinere ex *Martaban* ad hunc vsque portum in perpetuo piratarum, qui *Salaniporchasi* dicuntur, periculo fuissent, cogebantur bona sua in *Cocchi* transportare, & septem menses ibi, donec occasio in *Ormus* nauigandi sese ipsis offerret, subsistere.

Interea dum mercatores nostri in hac ciuitate hærerent, accidit, vt duo Reges ethnici, Rex nempe de *Cocchi*, & Rex de *Paruta* ibi aduenirent, pacem & confœderationẽ cum Paulinis monachis facturi. Non progrediebantur quidem monachi Regibus istis obuiam, sed in vestibulo templi sui eos expectantes duo puluinaria ex holoserico parata certis locis, vbi Reges isti sederent, disposuerant. Venientes igitur ad monasterium, excipiebantur ab Antonio, monasterii Rectore, & aliis quibusdam, quorũ templum Rex de *Paruta* igne accensum nuper deleuerat. Promittebat autem ipsis, se nouum templum, nouumq; monasterium extructurum, idq; non quidem quale antea habuissent, sed ex lapidib. vtq; viderent, serio sese hæc dicere, tradebat eorum potestati oẽs, qui auctores istius incendii & subuersionis fuissent, quos monachi quidem non exigua pecunię summa mulctabant. Faciebat autem hæc omnia Rex, ne monachi de vindicta cogitantes rem eo perducerent, vt ipse regno suo priuaretur: nam Lusitanorum quidem potentiam iam ante expertus erat, nec ignorabat multos ex subditis suis Christianorũ religionẽ amplexos & baptizatos esse, quos à partib. monachorũ futuros non dubitaret: pendebant n. ab ore Iesuitæ cuiusdam, qui ex Genua oriũdus, regionem istã armatus perer rabat, & multos quotidie ab impietate Ethnica ad Christianam religionẽ conuertebat, qui eũ quocunq; sese verteret sequebantur. Venerat paulo ante q̃ mercatores nostri ad portum in *Cocchi* appellerent, nauis quædam ex *China*, retulerantq; qui in ea fuerant, Regem eius loci, Iesuitam quendam ex *Neapoli* accersitum, in Chinesiorum lingua erudiri curasse, quæ lingua quidem 60000. literas habet, & propterea omnium difficilima est. Iesuitam igitur illum, cum linguam didicisset, fidem Christianorum prædicare cœpisse, & ingentem hominum multitudinem conuertisse, iamque propter moderatam suam vitam, potestatem accepisse Christianam doctrinam per vniuersum regnum istud propagandi, vt spes sit, Regem cum vniuersa sua familia Christianorum sese numero breui aggregaturum.

Lusitani quidem in *Cocchi* propugnaculum præter domum quandam aqua vndiq; cinctam habent, ad q̃ non nisi per pontem accessus patet. Hęc domus Regis permissu nõ ita pridem artificiosè admodum extructa, & tormentis illis, quæ in littore maris olim cernebãtur, munita est, vt propugnaculi cuiusdã vicem supplere facilè possit. Sunt autẽ in ciuitate hac sacerdotes qui *Bramini* ipsis dicuntur, hi potestatẽ habent conuersandi cum omnib. mulierib. virginibusq; & eas cognoscendi, ne Regina quidem & filiab. eius exceptis, quæ causa est, q̃ Regi defuncto filius succedere in regno nõ possit, sed ex sorore Regis natus in locum eius surrogetur. Subditorum in *Cocchi* aliqui *Nairi* dicuntur, suntq; nobiles, alii *Pulia*, suntq; vulgares & plebei. Hi nobilibus in via cedunt, & honorem tantum deferunt, vt indignos sese putent, qui eos prætereant. Si vero accidat, vt plebeius aduẽtantem nobilem non videat, inclamatur ab illo, & via cedere iubetur. Incedunt autem *Nairi* nudo corpore, pudendis solum partibus occultatis, manu altera euaginatum

tum gladium, altera clypeum gestantes, quidam rotundo pileolo caput tegunt, plerique vero capillos mirificè exornatos ostentant. Rex in *Cocchi* pileum ex holoserico rubro more Lusitanico factum gestat.

Non procul à *Cocchi* versus *Calocutum* fluuius quidam est, quem *Panani* vocant, piratis quibusdam, qui *Malauari* dicuntur, admodum infestus. Hi magno numero naues inter *Comerin* & *Cambagia* insultantes, Lusitanis mercatoribus haud parum damni superioribus annis intulerunt, sed pace postmodũ inter Lusitanos & *Calocutum* facta, permissum Lusitanis est propugnaculũ aliquod ad ostium fluminis excitare, vnde tribus piratarũ & prædonũ generibus, nempe *Malauaris*, *Sangiseris*, & *Sanganis* cum maximo ipsorum detrimento hodiè resistunt. Cinnamo & Cassia omnes syluæ abundant, permissumque cuilibet est, afferre & colligere quantum velit, dummodo illis, penes quos custodia linguarum est, munusculum aliquod offerant. Arbores alioqui habent parandis nauibus admodum cõuenientes: lignum enim earum tam firmum est, vt vix clauis ferreis cedat, eosque progressu temporis penitus consumat.

CAPVT XLV.

De itinere ex Cocchi *versus ciuitatem* Ormus.

DIE octauo Octobris, Anni 1586. nauem Præfecti in *Cocchi* ingressi, quæ magna ex parte Cassia aliisq; aromatibus onerata erat, carbasa austro commiserunt. Quinque autem diebus *Chiauul* assecuti, cum nec in *Goa*, nec alibi in terram descendissent, 19. dieb. ibi cõmorati sunt, mercibus quibusdam distrahendis operam dantes. Postmodo iterum inde soluentes, septem dierum spatio ad *Diu* applicarunt, vbi cum noctem diemq; dimidium conuehendis aquis traduxissent, constituerũt iter suum *Ormus* versus dirigere, sed vento contrario, versus *Insegiada Segiet*, periculosissimum locum reiecti, tantis exponebantur periculis, vt naufragium singulis momentis metuerent. Proiectis igitur anchoris, expectandum ibi censebant, donec venti & tempestates nonnihil remitterent. Cæterum cum duodecim diebus ab anchoris hærentes, magna potabilis aquæ inopia laborare iam inciperent, propterea quod 500. fere personæ in naui illa numerarentur, tempestate nõnihil remittente, ventus commodior exortus est. Progressi igitur iterum, post dies quinque, terram tractus Persici, à piratis, qui *Nutechi* dicuntur, & Lusitanorum iurati hostes sunt, habitatam, conspexerunt. Quare licet aquam haurire & dolia sua implere iterum adniterentur, non poterant tamen illud propter congregatam in littore armatorum multitudinem perficere. Postero tamen die aliquibus cum scapha ablegatis, ex torrente quodam vasculum vnum atque alterum aqua impleuerunt, moxque iterum soluentes inter varia pericula progressi sunt, donec tandem 24. Decembris die, qui Parasceues natalis Christi erat, ad *Ormus* feliciter appellerent, vbi postmodum ad 11. vsq; Iulii sequentis anni ipsi commorandum fuit.

Cæterum, cum prima vice Indiam petentes ad *Ormus* venissent, vectigalis nomine præter dextantem, hoc est, decem de centenis, nihil persoluerunt, quod Lusitanis similes haberentur, iam autem reuersi legem inuenerunt, qua qui nõ prognati Lusitani, sed vel Itali, vel Galli, vel Æthiopes, vel Ethnici, vel Armenii, vel Iudæi essent, præter dextantem illum, adhuc *Caida*, hoc est, quadrantem, siue tria de centenis præstare vectigalis nomine cogerentur. Franciscus quidẽ Mascareni Comes *di Villa d'Orta*, vrbis eo tempore Præfectus, quemadmodum & *Consalve di Minaxi* Capitaneus, non pa-

rum pro abrogando hoc nouo vectigali, &, vt Itali Lusitanis similes haberentur, laborabāt. Et licet literis suis à Præfecto vrbis in *Goa* id facilè obtinerent, attamen cum lex illa à quatuor iudicibus in *Goa*, quorum decreta Præfectus infirmare non potest, lata & confirmata esset, frustra omnia suscipiebantur, nec poterant mercatores nostri noui huius vectigalis onere subleuari, sed cogebantur præter dextantem adhuc quadrantem, atq; ita 13. de centenis persoluere, telonariis præsertim & publicanis, quadrantem hunc non pro Portugalliæ, sed pro Æthiopum de *Ormus* Rege colligi, dicentibus.

Interea cum adhuc in *Ormus* essent, aduenit 11. Iunii die Anno 1587. classis ex *Goa*, quinq; *Caleonis*, quatuor triremibus & 30. præsidiariis nauibus aliis constans, quæ sub Præfecto Martino Alphonso di Mel, ad fauces in *Mecca* petere constituerat. Protrahebant autē ad littus secum nauem quandam, quæ in itinere ex *Cocchi* Portugalliam versus suscepto, vi ventorum & procellarum versus Insulam S. Laurentii proiecta deerrauerat, & malum amiserat. Nomen huic naui *Saluator* erat, homines vero in ea existentes, periculo hoc coacti, tantum bonorum in mare abiecerant, vt iactura ista trecentorum millium ducatorum æstimaretur, afferebant tamen nihilominus adhuc secum, quater vel quinquies mille *Cantara* piperis, quingenta *Cantara* cassiæ, centum *Cantara* zingiberis, ducenta *Cantara* nucum myristicarū, & ingentis precii bona alia, quæ omnia classis huius beneficio conseruata fuerant. Dicebatur aūt nauis quædā alia *Giaga* nomine multis bonis onerata in portu *Cocchi* submersa periisse, hominibus tamen aliorum opera conseruatis. Sed & nauis alia, qua Principes Giappanici vehebantur, vi ventorum in *Misanbich* delata, nauem quandam in arena & breuiis hærentem liberasse, & in Lusitaniam peruenisse dicebatur, cum vulgo, vnà cum Principibus, Regis nempe in *Giappan* filiis, & multis variorum ordinum monachis periisse putaretur.

Cæterum persoluto in *Ormus* vectigali, nauem quādam mercatores nostri conducebant, qua dum classis illa ex *Goa* in mari adhuc esset, & iter ipsis à piratis tutum præstaret, *Balsaram* versus nauigarent. Accidit autem decimo, postquam ex *Ormus* egressi essent, die, vt ventorum fluctuumq; vehementia ad Insulam quandam abrepti, tantis periculis exponerentur, vt aliter iudicare non possent, quam facto naufragio, vitam & bona omnia sese amissuros. Erat enim locus ille scopulorum in aqua abditorum multitudine admodum formidabilis, itaq; proiecta statim anchora, alter alterum iuuabant, vt nauem à terra iterum dimouerent, quo facto ventus iterum aspirauit secundior, cuius beneficio Insulam *Cargi* assecuti, hauriendis aquis diem vnum atque alterum impendebant, tametsi non sine magno prædonum eius loci, qui *Naichilo* & *Abbuseri* dicuntur, periculo, vnde iterum progressi *Balsaram* tandem, cum 22. dies in itinere fuissent, peruenerunt.

Caput XLVI.

De itinere ex Balsara *in flumine Tigri ad Babyloniam vsque.*

MERCATORES nostri, cum in *Balsara* per dies duodecim commorati vectigal & tributum omne persoluissent, itineri sese iterum commiserunt, quia autem multas habebant naues socias, Capitaneum quēdam siue generalem Præfectum eligendum censeb ant, quem populi isti sua lingua *Caravanbassi* vocant, eratq; vir prudens, & locorum istorum admodum peritus, vt vbi prædones & piratæ sese continerent, eum non lateret. Cum autem ad *Corno* propugnaculum appu-

appulissent, persoluto vectigali, quod erant pro singulis nauibus duo *Saie*, literas sibi dari petebant, quibus præstitisse quod debuerant perhiberentur, easque vbicunque postmodum tributum & vectigal soluendum erat, subsignari curabant. Nam in *Zazchie* soluendi ipsis erant de qualibet naui 5. *Saie* & 2. *Maedini*, de adiuncta autem scapha vel cymba septem *Maedini*. In *Chert* persona quælibet octo Venetos pro se, pro naui autem qualibet 4. *Saie* & 2. *Maedinos*, pro scapha vero adiuncta 17. *Maedinos* præstare cogitur. In *Mara* pro fasciculis mercatoriis singulis tres *Saie*, & pro scapha adiuncta 22. *Maedini* soluuntur. In *Giedido* vero pro singulis nauibus mercatores quidem, ad quos bona pertinent, 9. Patronus vero nauis octo *Saie* numerare vectigalis nomine coguntur. Singulis autem in locis apocham mercatores & nautæ petebant, qua sibi satisfactũ esse publicani & teloniorum curatores testabantur, hanc enim exhibere non valentes vectigal, quod hoc vel illo soluerunt loco, denuo persoluere coguntur.

Cæterum iter hoc ex *Balsara*, Babyloniam vsque 38. dierum spatio trãsegerunt, mille interim ob prædones, piratas & latentes sub aquis scopulos, expositi periculis, quibus tandem exantlatis 23. Nouembr. die Anno 1587. Babyloniam assecuti sunt. Donabant autem *Sinani Bassa*, qui *Cicala* Siciliæ Præfecti filius erat, & à Sultano Turcico ciuitatis præfecturam obtinuerat, auem quandam, cui nomen erat *Hori*. Genus enim hoc auium ob colorum multiplicium varietatem admodum delectabile, sermones hominum more psittacorum facile imitatur, originem ducit ex *Malucche*, & in Indiam primo, postea vero ad loca alia transfertur. Cum igitur naues omnes, more hoc loco vsitato, in ordinem redegissent, alteramque post alteram disposuissent, veniebant *Temagagi*, & post illos Bassæ illius *Cacagia* atque *Destardar*, curabantque alteram post alteram exonerari, vt vectigal debitum acciperent, & à nemine defraudarentur, quod dum fieret, 20. dies elapsi sunt.

CAPVT XLVII.

De varietate temporum, quam obseruare reditum ex India parantes coguntur, quæ quidem varietas ipsis Monsonne *vocatur.*



IN *Goa* præcipua Orientalis Indiæ ciuitate hyems initiũ suum 11. Maii, cum multa pluuiarum & imbrium frequentia sumit, ad 1. vsque Augusti durans, quo quidem tempore omnis cessat nauigatio, propterea quod multum arenæ sabulique ex *Ogatte* monte ab imbribus in portum colligatur & ita acumuletur, vt omnes gradus in portu, exitum nempe nullum, propter ventorum ab occasu spirantium vehementiam, quibus maris accessus prohibetur, & impeditur, inueniens obruat. Ita igitur portus hic conclusus per hyemem cernitur, vt ne minimam quidem admittere nauiculam possit. Post primum autem Augusti cessantibus ventis, pluuiisq; remittentibus, mare suo accessu transitum parat, cumulosq; illos perrumpens abducit, vt circa 24. huius mensis diem portum iterum apertum & arena sabuloque omni liberatum cernas. Tunc igitur instaurata iterum nauigatione, naues septentrionem versus excurrere, & *Chiauul, Diu, Cambagia, Bengala, Daman, Bassaino*, locaque alia petere, & nauigationem per omne reliquum tempus, vsque ad 11. Maii sequentis anni, continuare cernuntur.

Quotquot igitur iam ex latere ſeptentrionali *Goam* petere naues volunt, ſoluentes ex ſuis locis circiter octauum Ianuarii, ſub finem Februarii ad portum in *Goa* appellunt. Ex Diu 15. Ianuarii ſoluentes, per fretum *Meccha* verſus proficiſcuntur, & ſub finem Auguſti reuertuntur, quod primum quidem Monſonne eſt. Qui vero à 25. Auguſti, ad 1. Septembris vſque per fretum illud nauigationem ſuſcipiunt, intra 1. & 15. Maii domum reuertuntur. Ex *Seccutra* nauigationem in *Ormus* ſuſcipientes, circiter 10. Auguſti inde ſoluunt, quamuis Inſula hæc nauigiis non ita multis frequentetur. Sub 5. Septembris Æthiopes incipiunt *Goam* verſus terra iter facere, idque ex variis locis, nempe ex *Ballagatte*, *Bezzenegar*, *Hidalcan*, & aliis, omnes intra decimum & decimum quintum Nouembr. inde iterum diſcedentes. Septentrionis autem voce iter ex *Goa* verſus *Chiauul*, *Diu*, *Bengala*, *Daman*, *Baſſain*, *Gaſſain* & loca alia vſque ad oras *Mecchæ* intelligitur, voce auſtri venit iter ex *Goa* verſus *Cocchi*, & loca alia ad *Camorin* vſque ſuſceptum.

Cæterum primum *Monſonne* ex *Goa* verſus *Ormus* nauigandi, à primo Octobris ad finem eius durat, quo tempore quidem naues ex *Goa* ſoluentes, ſecundo vento ex Oriente per latus Perſicum tranſeunt. *Monſonne* ex *Goa* verſus *Ormus* nauigandi alterum, 20. Ianuarii incipit, quo tempore naues quidem ſoluentes, eodem quo dictum eſt tramite decurrunt, nominaturq́; hoc tempus à Luſitanis & Indianis *Antre* & *Monſonne*. Tertium *Monſonne* ex *Goa* verſus *Ormus* nauigandi, integro Martio durat, quo naues quidem ex *Goa* ſoluentes, cum vento, quem nos Eurum, ipſi *Leſte* vocant, *Seccutram* verſus proficiſcuntur, inde cum vento contrario *Loeſte* ſiue Aquilone, iuxta oras Arabiæ, ad fretum in *Ormus* progredientes, quod quidem *Monſonne* ſiue tempus, omnium periculoſiſſimum & difficilimum eſt, cum duæ diſtinctæ nauigationes eo perficiendæ ſint, ſecundum vero *Monſonne* ſiue tempus omnium eſt optimum & commodiſſimum.

Primum *Monſonne* ex *Ormus* verſus *Chiauul* & in Indiam nauigandi, per Septembrem, ab initio nempe eius vſque ad finem durat, quo tempore naues ex *Ormus* ſoluentes, vento Septentrionali vtuntur. Alterum *Monſonne* ex *Ormus*, verſus *Chiauul*, *Goam*, & totam Indiam nauigandi, à 25. Decembris ad eius finem durat, quo tempore plerunque ventum ſeptentrionalem naues experiuntur. Tertium ex *Ormus* verſus *Chiauul* & *Goam* nauigandi tempus, à 15. Aprilis vſque ad finem eius durat, Zephyrum & Circium inducens. Naues autem hoc *Monſonne* in freto *Monſandon*, iuxta oras Arabiæ, vſque ad *Roſſalgatte* proficiſcuntur, poſtmodo mari ſeſe committentes, cum Euro in *Chiauul* & *Goam*, pertingunt. Quod ſi naues quædam, quæ ex *Ormus* in Indiam nauigare conſtituunt, 15. April. diem prętermittant & negligant, ante hyemem quidem, propter ingentem ex Oriente ventorum atque procellarum vim, qua naues vel ſubuertuntur, vel ad Inſulam *Seccutram* propelluntur, ad oras Indiæ pertingere non poſſunt, ſed ſi forte itineri ſeſe commiſerint, in freto ad *Meccham* hybernare coguntur. Naues quæ ex *Ormus* curſum ſuum *Sindi* verſus dirigunt, intra 15. & vltimum Aprilis diem nauigationem inire coguntur, hoc enim primum ipſorum eſt *Monſonne*. Alterum à 15. Octobr. ad finem eius durat. Qui vero ex *Ormus* per fretum maris rubri nauigationem inſtituere volunt, in Ianuario vti iter ingrediantur, neceſſe eſt.

Hactenus quo tempore naues ex *Goa* per Septentrionem nauigationem inſtituere ſoleant, explicatum eſt, reſtat vt, quo tempore per meridiem ex *Goa* ſoluentes nauigationẽ inſtituant, ſimiliter annotemus. Intra primum autem & decimum quintum Auguſti diem, naues ex *Goa* verſus *Seilan*, *Cocchi* & *Calicu-*

& *Calicutum* excurrere solent, ad quæ quidem loca per totũ annum nauibus pertingere quis ex *Goa* potest, hyeme tamen excepta, quæ à 15. Maii ad 10. vsque Augusti diem nauigationes nullas admittit, subinde igitur naues ad *Goam* applicant, sed hyberno tempore nullam aduentare videris, optimum autem tempus *Goam* versus nauigãdi illud est, quod nos Nouembrem, Decembrem & Ianuarium dicimus.


Primum *Monsonne* ex *Goa* in *Pegu* nauigandi, à quinto ad vigesimum Aprilis durat, quo quidem tempore naues ex *Goa* soluentes cursum suum versus *S. Thomæ* ciuitatem dirigunt, vbi cum ad 12. vsque Septembris, per hyemem nempe substiterunt, reliquum postmodo iter absoluunt. Alterum *Monsonne* pro illis, qui ex *Goa* in *Pegu* traiicere volunt, cum octauo Augusti initium sumens, ad vigesimum quartum eius mensis durat. Eo enim tempore ex *Goa* soluentes naues rectà versus *Pegu* & *Martaban* nauigationem dirigunt. Quod si quis vltra 24. huius mensis diem in *Goa* commoretur, eo quidem anno ad ciuitatem *Pegu* peruenire non potest, propterea quod *Monsonne* aliud toto anno non habeant, vbi notandum, quod qui lucri aliquid facere in *Pegu* expetit, operam dare debeat, vt nummos ex Sancti Thomæ ciuitate, vt sunt Regales, *Patacconi* ex argento in *Malacca* cusi, & *Larini*, & pannos omnis generis ad Sanctum Thomam paratos, eò transuehat. Reliquarum enim mercium, quemadmodum etiam argenti, auri & carbunculorum, magna satis in *Pegu* copia reperitur. A decimo quinto, ad finem vsque Ianuarii, naues ex *Pegu* soluentes, versus *Cocchi* ciuitatem nauigationem suscipiunt, vt naues Lusitanicas ibi offendãt, quæ circa hoc tempus eo appellere, & inde *Goam* petere consueuerunt, idque à 25. Martii per totum Aprilem. Nam quæ naues ante decimum Maii diem, ad *Cocchi* vel *Goa* non applicant, loca illa postmodo contingere non possunt, & quæ eo quidem tempore Indiæ oras nondum superarunt, magno cum periculo & detrimento redire ad S. Thomæ ciuitatem coguntur.


Primum *Monsonne* ex *Goa* versus *Malaccam* à decimo quinto ad finem vsque Septembris durat. Eo enim tempore soluentes ex *Goa* naues sub finem Octobris ad *Malaccam* applicant. *Monsonne* alterum quinto Maii in *Goa* initium capit, & ad decimum quintum vsque Iunii in *Malacca* durat. Primum autem *Monsonne* ex *Malacca* versus *Goam* initium sumit 10. Februarii, quo naues ex *Malacca* versus *Cocchi* & *Goam* nauigationem instituere solent, & per totum Martium extenditur. Quod si vero ad decimum vsque Maii naues in *Malacca* cessent, *Goam* quidem assequi non possunt, quin imò nisi ad *Cocchi* interea temporis peruenerint, redire *Malaccam* vi ventorum hybernorum coguntur. Naues omnes, quæ ex *Goa* & *Cocchi* nauigationem *Chinam* versus instituere volunt, iter suum in Aprili ingrediuntur, & ex *Goa* quidem circa 15. Maii ibi appellunt. Quæ autem tempus illud negligunt, *Chinam* postmodum assequi non possunt; sed magna cum difficultate, cum neque ad portum in *Cocchi* appellere possint, *Malaccam* re infecta redire coguntur. Naues ex *Malacca* nauigationem *Goam* versus instituentes, intra decimum & decimum quintum Maii, mari se committunt, si enim tempus hoc negligant, iter suum absoluere eo anno non possunt.

Naues, quæ ex Lusitania in Indiam nauigare quotannis solent, intra octauum & decimum quintum Martii ex portu suo soluentes, mense Iulio ad oras *Malindi* & *Mosambicchi* perueniunt, vt circa decimum quintum Septembris, ad *Goam* appellere possint. Quæ enim tempus illud negligunt,

nauigationem frustra suscipiunt: nam nisi ad oras *Malindi* in Iulio pertingant, in Indiam quidem eo anno peruenire non possunt, sed ad *S. Helenæ* Insulam redire coguntur, dummodo etiam eam inuenire possint: exigua enim admodum est, & in medio mari sita, facileque fieri potest, vt, nocturno præsertim tempore, naues eam prætereant, & ex conspectu suo amittant, quo facto ad oras *Chinea* cursum suum dirigere coguntur. Cæterum naues Lusitanicæ, domum rediturae, à decimo quinto Ianuarii vsque ad eius finem ex *Cocchi* soluere coguntur, vt portum Insulæ ad *S. Helenam*, medium nempe itineris sui, assequantur. Insula hæc exigua quidem est, vt dixi, sed rebus omnibus, quæ ad sustentationem pertinent, supra modum referta. Cum ante paucos annos forte fortuna inueniretur, & ab inuentoribus suis *S. Helenæ* nomen obtineret, Portugalliæ Rex ea de re edoctus templo eam donauit, illudque *S. Helenæ* sacrum esse voluit, duobus Eremitis monachis eo translatis, qui sacra ibi peragerent. Apparet autem ex multis circumstantiis, eam singulari prouidentia Dei inuentam esse, omnes enim naues, vbi ad eam peruenerint, inopia potabilis aquæ & aliarum necessariarum rerum laborare deprehenduntur, cui quidem ibi certissimum paratum est remedium. Cum non solum aqua dulci, sed & volucribus, pecoribus, fructibusq; variis Insula ita abundet, vt prospicere sibi nautæ de rebus necessariis satis superq; possint. Atque hæc quidem de hac materia, & tota nauigatione dicta in præsentia sufficiant.

F I N I S





ICONES,
Hoc est:

VERÆ VARIORVM POPVLORVM ET REGVM,
CEREMONIARVM ITEM, SVPERSTITIOSORVM RITVVM ET RERVM ALIARVM, HOC TOMO SEPTIMO commemoratarum, effigies & imagines,

QVIBVS TAM

Georgii Spilbergii, quam Caſpari Balbii nauigationes illuſtrantur.

Studio & opera

IOANNIS-THEODORI, ET IOANNIS-ISRAELIS DE BRY, FRATRVM, IN ÆS PVLCHERRIME INCISÆ.



FRANCOFORTI,
In Officina Typographica WOLFGANGI RICHTERI.

M. DC. VI.

DELINEATIO CIVITATIS VERE, IN SELANDIA sitæ, vna cum tribus nauibus ad nauigationem primam destinatis.




Habes hic, Lector, expressam imaginem ciuitatis VERE, quæ portus est siue statio nauium in Selandia, sub Principis Mauritii iurisdictione & potestate sita, qui Marchionem sese eius profitetur. Apposuimus autem etiam effigiem trium nauium, quæ ad hanc nauigationem destinatæ fuerunt à Simone Parduinio, ciuitatis Mittelburgensis consule seniore, Balthasaro Moucherone, & Petro ab Hecken mercatoribus, tanquam principalibus huius nauigationis autoribus, sub Navarcho siue Admirali quodam Georgio à Spielberg, cuius crebra per historiam facta est mentio. Nomina vero nauium fuerunt Ouis, Aries, & Agnus.

11.

DELINEATIO EORVM, QVÆ NAVARCHO IN *Porto Dale* & *Refrisco* accidерunt.



NAVARCHVS *cum ad* Capo Verita *venisset, Celocem ingressus nauigationem ad* Porto Dale *suscepit, vbi cum tres Lusitanicas naues, quas* Carauelle *vocant, inuenisset, Lusitanique tormentis eum à littore arcerent, coactus est defensionem sui suscipere. Impetu ergo in vnam harum nauium facto, Num. 1. tanto cum ea feruore pugnare cœpit, vt reliquæ duæ Lusitanicæ naues auxilio ei venirent, quo viso Nauarchus fuga sibi consulendum censuit. Cum autem non procul à* Refrisco *abesset, & Celocem ad naues alias præmisisset, Num. 2. Æthiopes quidam cum* Canois *aliquot, Num. 3. in eum insultantes, vestibus spoliarunt, ita vt nudatus vestibus, & vtraque insuper manu vulneratus ad naues suas redierit, quas in* Porto Dale *postmodum adducens, cum vnicam saltem nauem ibi inueniret, Num. 5. eam nullo labore superauit.*



III.

DELINEATIO SINVS ILLIVS, QVEM HOLLANDI mensalem, sua lingua *Taffel Baje*, nominarunt.



Expreßimus hic sinum illum, quem Hollandi mensalem, sua lingua Taffel Baje, *nominarunt, idq́ à monte quodam excelso, qui ad decem leucas in mari cernitur, & in cacumine tabulam siue mensam aliquam quadratam refert. Situs hic sinus est sub 34. gradu & 4. scrupulis, 15. ferè miliaribus septentrionem versus à Capite bonæ spei. Ne quid autem quis ab eo aberret, loca quædam certis numeris consignata adiicere voluimus, Num. 1. est ipse sinus mensalis, Num. 2. est mons mensalis, Num. 3. Insulam Elisabethæ, Num. 4. Insulam Corneliam, Num. 5. Caput bonæ spei denotant. Num. 6. ostendit homines huius loci incolas, qui loquentes sonum instar gallinarum Indicarum emittunt. Locus alioqui multis ceruis & capreis abundat.*

IV. DELI-

IV.

DELINEATIO EORVM, QVÆ GALLIS QVIBVS-dam in regione *Annabon* acciderunt.



CVM Galli quidam ad regionem Annabon *nauibus suis delati, viderent in littore sacrificulum quendam Missæ sacrificium peragentem, ex singulari zelo religionis, vt sacris interessent, in terram descenderunt. Videntes autem hoc ipsum Lusitani, vndique confluentes, partem trucidarunt, reliquis in captiuitatem abductis, qui lytrum persoluere & sese magna pecunia redimere coacti sunt, etiamsi eiusdem cum Lusitanis religionis essent. Numeros adiectos sic intellige. Num. 1. Sacerdotem coram Altari. 2. Gallos. 3. Lusitanos. 4. & 5. Schaphas Gallorum. 6. 7. Naues eorum. 8.* Canoas *incolarum eius loci. 9. 10. 11. &c. Rates quibus inter piscandum incolæ vtuntur. 15. Arborem quæ* Bonannas, *fructum nempe Cucumeres repræsentantem fert, & folia tantæ magnitudinis habet, vt virum aliquem cooperire possint. 16. Arborem Gossypii. 17. Arborem mala aurea ferentem, denotant.*

V.

ICON CIVITATIS MATECALO, VNA CVM aliis circumstantiis.



C*luitas* Matecalo *hæc est, regia sedes in* Celon, *vbi à Rege potentissimo*, Dermuts landagare *nomine, Hollandi splendide accepti sunt, quemadmodum illud numeris adiectis hic expressum est, Num. 1. Regem in vestibulo arcis suæ constitutum, & strictum gladium manu tenentem. 2. Admiralem Spilbergium, honorem Regi exhibentem. 3. Tubicines, & instrumenta musicalia alia percutientes. 4. Arcem regiam. 5. Monasterium aliquod. 6. Elephantes, varios ludos præbentes. 7. Satellites regios, Admiralem ad Regem ducentes. 8. Venationem ferarum, denotant.*

VI.
DELINEATIO CIVITATIS VINTANE, *in Celon sitæ.*





CIVITAS Vintane *ad fluuium* Trinquamale *sita est, ad Regem in* Candus, *qui præcipuus in* Celon *Rex est, pertinens. Curat in hac ciuitate Rex in* Candy *naues suas parari, vt ex Num. 1. 2. 3. patet. Est in Ciuitate hac* Pagode *siue templum ingentis magnitudinis, ita vt circumferentia eius 130. passus complectatur, Num. 4. indicatum. Incolæ sunt admodum superstitiosi, & crebras processiones instituunt, Monachi ipsorum vestitu flauo vtuntur, & capite raso incedunt, præmissis multis instrumentis musicalibus, Abbas ipsorum Elephanti insidet, auro & argento pulcherrimè ornatus, sceptrumque in manu gerens, vt ex Num. 5. videre est. Num. 6. Monachos, Abbatem præcedentes & sequentes; Num. 7. tibicines & choragos; Num. vero 8. Monasterium Monachorum denotant.*

DELINEATIO EORVM, QVÆ NAVARCHO SPILbergio, dum ad *Matecalo* hæreret, acciderunt.



DVM Nauarchus Spilbergius cum nauibus suis ad Matecalo *subsisteret, accidit, vt è longinquo nauem aliquam videret, ablegata igitur cum 14. claßiariis Scapha sua, naui ista, quæ triremis erat 46. viris instructa, potitus est. Paulò post alia naui* Champaigne, *& iterum alia potitus est, quæ omnia numeris certis hic expressa oculis tuis subiiciuntur. Num. 1. Naues ad* Matecalo *hærentes. 2. Fluuium ad* Matecalo. *3. Nauem Admiralis Spilbergii. 4. Celocem siue agnum. 5. Scapham Admiralis, qua in expugnandis illis tribus nauibus vsus est. 6. Pugnam cum triremi Lusitanica. 7. Expugnationem secundæ nauis* Chambaigne. *8. Fugam Lusitanorum cum Scaphis suis, denotant.*

VIII. DELI-

VIII.

DELINEATIO REGIÆ CIVITATIS *CANDY*, & eorum, quæ Admirali ibi acciderunt.




Andy ciuitas est in Regno Celon, *metropolis potentissimi Regis* Fimala Darma Suriada , *alias* Don Ioan de Austria *dicti. In ea Admiralis quidem splendide admodum à Rege exceptus est , quemadmodum ex adiectis numeris apparet. Num.* 1. *lecticam, qua Admiralis gestatur.* 2. *Triremem, qua fluuium traiiciunt.* 3. *Accessum eius ad Regem, & quomodo ab eo acceptus sit.* 4. *Satellites Regis, omnis generis ludos Admirali exhibentes.* 5. 6. *Portas duas , per quas ad diuersorium suum Admiralis ducebatur.* 7. *Diuersorium Admiralis.* 8. *Palatium seu Arcem Regiam.* 9. *Aulam Regis interiorem,* 10. 11. *Templa duo in arce constituta.* 12. *Canalem, quo aqua pluuia ex monte in stagnum quoddam deriuatur.* 13. *Domum regiam, in stagno , vbi multas gemmas colligunt, excitatam.* 14. *Modeliarem seu Capitaneum Regis.* 15. & 16. *Ciuem aliquem cum vxore sua.* 17. *Mancipium siue seruum ex iis, quib. aures plerumq; dissecantur, vt præ aliis cognosci possint.* 18. & 19. *Tentoria, vbi primores vrbis interdiu ab æstu solis tuti quiescere solent, denotant.*


6
10
11
5
7
14
15
16


VIII
12
13
8
9
3
18
17

TABVLA COSMOGRAPHICA, REGIONIS SIVE Insulæ *Celon* delineationem exhibens.

I*Nsula* Celon *in India Orientali sita in circuitu suo 360. leucas continet, & multis Regibus habitatur, quorum potentißimus est Rex in* Candy, *qui iugum Lusitanicum excußit, cæteris omnibus sub tributo Lusitanorum adhuc constitutis, qui in propugnaculo* Columbo *sese maxima ex parte continent, & totam inde Insulam, hoc solum regno excepto, sibi subiectam reddiderunt. Caßia plurimum in hac Insula crescit, quamuis & piperis & multarum gemmarum ferax sit. Est in parte septentrionali ciuitatis* Candy *piscina quædam, margaritarum ferax, sed & auro & argento, ferroq; & metallis aliis abundat. At vero Rex in* Candy *non patitur ea inquirere, ne thesauros ex Regno suo amittat. Homines admodum superstitiosi & idololatrici sunt, vnde in omnibus fere angulis statuæ quædam humanam partim, partim aliorum monstrorum formam referentes cernuntur.*


ZELON
Negombo.
Maniratuatto.
Grovenelle.
Setavacco ist ein große stat
do der König von Celon sein
hoff helt.
Grovabely.
Malleuano
Trangulio Grando.
Colombo.
Dadani.
Pica
Pagoda
Trincoli.
Calutre.
Verberyn.
Tansalier.
Grande.
Pagoda
Alicam.
Velebe.
Ponte
de Galle
Matura
Belligane.
Dondura.
Tanadare
Hulpilan


IX


SEPTENTRIO
OCCIDENS
ORIENS
MERIDIES

Manar.
Hic ist ein fischerey von parlen.
Pelcarie.
Taffa Patan.
Madre.
Tangouere.
Res De Sete Coric.
Putalon.
Trigomalo.
Tranquero.
Tranqueros.
Candy.
Closter.
Vintano.
Vendro.
Capello de fayero.
Capello.
Tran: Balle. nc.
Tran: Ganiattani.
Pagode.
Vintano.
Negurety.
Nilvale.
Chilau.
Altonnor.
Vegame.
Viada.
Orcattoti.
Macappeti.

TABVLA COSMOGRAPHICA, REGIONIS SIVE Insulæ *Celon* delineationem exhibens.

I*Nsula* Celon *in India Orientali sita in circuitu suo 360. leucas continet, & multis Regibus habitatur, quorum potentissimus est Rex in* Candy, *qui iugum Lusitanicum excussit, cæteris omnibus sub tributo Lusitanorum adhuc constitutis, qui in propugnaculo* Columbo *sese maxima ex parte continent, & totam inde Insulam, hoc solum regno excepto, sibi subiectam reddiderunt. Cassia plurimum in hac Insula crescit, quamuis & piperis & multarum gemmarum ferax sit. Est in parte septentrionali ciuitatis* Candy *piscina quædam, margaritarum ferax, sed & auro & argento, ferroq́ & metallis aliis abundat. At vero Rex in* Candy *non patitur ea inquirere, ne thesauros ex Regno suo amittat. Homines admodum superstitiosi & idololatrici sunt, vnde in omnibus fere angulis statuæ quædam humanam partim, partim aliorum monstrorum formam referentes cernuntur.*


IX.
SEPTENTRIO
ORIENS
MERIDIES.
OCCIDENS
Taffa Patan.
Madre.
Tangoure.
Res De Sete Coric.
Trigomalo
Capello
Capello de Souero
Vlatecalao.
Viada.
Vintano.
Vegame.
Pagode
Closter.
Vendro.
Canoy.
Tranquero.
Tranqueros.
Tran: Goniattani
Altoomor
Diuely.
Pescarie.
Putalon.
Chilau.
Mana
Hie ist ein fischerey von parlen


Sitavacco ist ein grosse Stat do der Konig von Celon sein hoff helt.
Grovabely.
Malleuano
Trangulio Grando.
Colombo.
Dadani
Pica
Pagoda
Trincoli
Calatre.
Verberyn
Tonsalier
Grande.
Pagoda
Alicam
Ponte de Galle
Matura
Bel ligane
Dondura
Hulpilan
Tanadare

X.

REGIS IN *CANDY* ET ADMIRALIS effigies.



VERA hæc est effigies & imago potentissimi Regis, qui Fimala Dermasuriada, *alio vero nomine, quod, cum in iuuentute sua à Lusitanis in propugnaculo Columbo baptizaretur, obtinuit,* Don Ioan de Austria *vocatur. Rex hic illustri familia natus, bellis ab ineunte ætate operam dedit, & in* Goa *aliquanto tempore vixit. Cum Admirale familiarissimè conuersatus est, & omnem ei beneuolentiam exhibuit, vt ex historia prolixè patet.*

XI.

INSIGNIA ET SIGILLA REGVM IN *CELON*, vnde Idololatria eorum patet.

XI





H*I duo annuli insignia Regum in* Celon *exhibent. Adiecimus vero etiam idololatrici cultus Regis in* Matecalo *delineationem. Nam in regno isto idolum habent, ea quam hic expreßimus forma præditum. Coram eo in genua procidunt, cuiuscunque sexus, ætatis aut dignitatis sint, sapientiamque, diuitias, bonam valetudinem, & omnia ad vitam necessaria ab eo expetunt, vnde quantis in tenebris miseri isti homines etiamnum versentur, facile apparet.*

XII.

NAVIS QVÆDAM LVSITANICA AB ANGLIS & Hollandis expugnatur.





N*Auem hanc ad ſancti Thomæ ciuitatem pertinentem Angli & Hollandi, 14. Octob. Anno 1602. deuictis Luſitanis, in freto* Malaccæ *expugnarunt. Numerabantur autem in ea 600. plus minus vtriuſque ſexus homines. Eratq́; nauis ipſa 1400. onerũ capax, multis Indicarum mercium opibus onerata, quas cum inde ad ſuas naues Angli Hollandique traduxiſſent, reſtitutam iterum Luſitanis nauem cum omni populo dimiſerunt. Numeros quos adiecimus ſic intellige. 1. Admiralem Anglum,* Gems Lanceſter *nomine; 2. Admiralem Hollandum, Georgium à Spielberg nomine; 3. Viceadmiralem Anglum* Midelthon *nomine; 4. Nauem Selandicam, Agnum nomine; 5. Celocem Anglicam, 6. vero Admiralis Spielbergii Scapham denotant.*

SEQVVNTVR IAM ICONES AD ALTERAM HVIVS OPERIS NAVIGATIOnem pertinentes.

XIII.

QVA RATIONE POPVLI AD EVPHRATEM HABItantes agros suos humectare soleant.



POPVLI *ad Euphratem, maxime vero in tractu* Caraguol *habitantes, cum per totam æstatem pluuiam non experiantur, mirabili quadam ratione agros suos humectare solent. Rotam enim molendini in medio flumine constituunt, eiq; circumquaque vtres ex pellibus Tigrium consutos appēdunt. Hi, dum rota mouetur, aquam hauriunt & in vas aliquod appositum effundunt, vnde per Canales hinc inde dispositos ea in vicinos agros deriuatur. Rotam vero istam boues circumagunt, vt ex capi 4. historiæ patet. Cæterum 13. cap. mirabilis artificii literas ab vno loco in alium transferendi fit mentio. Mercatores enim in Babylonia &* Balsara *columbas in obscuris locis nutriunt, quas hi quidem ex Babylonia, illi vero ex* Balsara *sibi afferri, ita vt lumen diei nō aspiciāt curant. Quando igitur quid accidit, quod socios suos scire volunt, literas pedibus columbarum alligant, atq; ita à se dimittunt, quæ tamdiu volant, donec ad pristinum hospitium vel columbarium perueniant, itaq; mercatores illis comprehensis, literas statim inueniunt, & quæ scire expetunt, nullo negotio cognoscunt.*

XIV. FES-

XIV.

FESTVM POENITENTIÆ APVD POPVLOS, QVI *Amocchi* & *Chiaui* dicuntur.



MORIS *est apud illos, qui in* Casta *habitant, vt, cum maritus aliquis moritur, mortuum illum in foueam collocet, cruribus brachiisq; in formam crucis dispositis, postmodo vxorem ex opposito eius eodem modo disponunt, & viuam cum marito suo sepeliunt. Apud illos autem, qui* Amocchi *dicuntur, festum peculiare in vsu est: cum enim reperitur aliquis, qui* Pagodi *siue idolo, quod populi isti colunt, votum aliquod fecit, vel in necessitate constitutus auxilium ab eo impetrare expetit, ad locum idolo sacrum sese confert, vbi ingens arbor quædam instar mali alicuius in naui cum antenna in terram defossa est, ab antenna autem illa siue ligno transuerso, retinacula duo ferrea dependent. Sacerdotes igitur idololatræ, post admonitionem ad pœnitentiam, retinacula illa dimittunt, apprehensumq; pœnitentiarium in vtroque humero ad* Pagodo *siue idolum attrahunt, vbi dependens ita à retinaculis ferreis ter idolum salutare, pectus suum percutere, & alia peragere cogitur, donec iterum remittatur, vt in cap. 34. prolixius annotatum est.*

XV.

RATIO HOMINES EX VNO LOCO IN alium gestandi.



HAC ratione Peguani vtuntur, si quando aliquem ex vno loco in alium gestare volunt. Linteum enim habent ex Gossypio varii coloris paratum, cui in extremitatibus ferramẽta adhærent, quodq; tegmine siue vmbella pro arcendo solis æstu & pluuia etiam ab hominibus deriuanda instructum est. Hanc lecticulam ipsi Delingo *vocant; gestatur vero à duobus baiulis, duarum hastarum quibus adhæret beneficio, & qui ea vtitur, quasi dormiens recumbit, reclinato in puluinari capite, vt commotionem nullam sentiat.*

Adiecimus hic etiam delineationem nauis, qua Dominus de Casmi *vti solet, quæ multis remis instructa est, qui trahuntur ad sonum siue clangorem tubarum aliquot, Domino in eleuata quadam sella sedente, & ministros suos in minoribus nauigiis secum habente. Expressimus etiam effigiem nauis mercatoriæ, duplici fundo, & tabulato præterea alio, vbi mercatores sedeant, constantis.*

XVI.

MAGNIFICENTIÆ REGIS IN *PEGV*, ET QVOmodo ille pro tribunali sedeat, delineatio.



REx in Pegu *splendidam admodum & magnificam vitam agit: potentissimus enim est omnium Regum, & auri, argenti, gemmarumque per totam Orientalem Indiam (Rege in* China *excepto) ditissimus. Singulis autem diebus bis causas audit, in throno sedens magnificè eleuatus & auro argentoq; indutus, Coronam in capite triplicem gestat gemmis & auro nitentem, satellitibus vndiq; cinctus est, qui humi sedentes arma in peculiari scamno disposita ad manus semper habent: iuxta eum Principes, Comitesq; & Consiliarii eius consistunt. Vt consedit autem causis cognoscendis operam daturus, producuntur primo in conspectum eius quatuor Elephantes albi, incedentes sub vmbraculo siue tegmine, quod octo hastis impositum ab octo ministris gestatur, præcedentibus qui tympanum pulsent & tubis canant. Elephantes hi in conspectum Regis venientes, honorem ei exhibent, in genua concidunt, promuscidem eleuant, editoq; ter ingenti sono, quasi salutato Rege recedunt. Lauantur Elephantes hi quotidie ex vasis argenteis, vasa autem, ex quibus cibum capiunt, dolia referunt, cadi vnius capacia, & ex solido auro constant.*

XVII.
PRODITORVM IN PEGV SVPPLICIVM.



PATRVVM habebat Rex in Pegu Regem in Avua, sibi subiectum. Is aliquando contra eum consurgens, debitum & consuetum suum tributum Regi persoluere nolebat, fretus beneuolentia Præfectorum & Aulicorum, qui Regi in Pegu ministrantes cum Rege in Avua fœdus inierant, seque iureiurando ei obligarant, quod, vbi ad arma ventum esset, partibus eius, deserto suo Rege & Domino, accedere vellent. Rex igitur in Pegu cognita conspiratione ista, de bello Regi in Avua inferendo cum Præfectis suis deliberaturus, singulos conuocauit, nihilq; tale metuentes, carceri inclusit, & cum vxoribus liberisque, & vniuersis eorum familiis, ita vt quatuor millium fere personarum numerum excederent, igni adiudicatos, in foro publico, spectantibus omnibus incolis, cremari curauit.

XVIII. PVGNA


XVIII.
PVGNA INTER REGEM IN *PEGV* ET Regem in *Auua.*



S*Vmpto de proditoribus hisce supplicio; belloque Regi in* Auua *indicto, Rex in* Pegu *trecentorum millium armatorum exercitu breui tempore collecto, aduersus Regem in* Auua *profectus est, cumq; in aperto & longè lateq;, patenti campo vterque exercitus conuenisset, Reges Elephantibus insidentes duelli initium fecerunt, sclopetis primo, mox sagittis & tandem strictis gladiis congressi, postmodo alter alterum prouocando, milites etiam congressi sunt, donec res ad perfectam tandem pugnam perueniret, in qua Rex in* Pegu, *interfecto patruo suo, victoriam obtinuit, omni eius terra ad se postmodum translata.*

XIX.


VENATIO ELEPHANTVM IN *PEGV.*



Electatur Rex in Pegu *maxime venatione Elephantum, quibus regio hæc admodum abundans est. Perficitur autem tali ratione: Sunt in ciuitate carceres aliqui crassioribus columnis ligneis cõstantes, & extra eos stabula quædam Elephantum, quæ præter vnum capere non possunt. Iam cum venationem Rex instituere expetit, fœmellæ quædam Elephantes, ad hanc rem assuefactæ, in syluam emittuntur, oleo quodam in parte pudenda inunctæ, cuius odore Elephantes admodum delectantur. Hoc odore percepto Elephantes feri ad fœmellas hasce congregantur, easq; præ amore quasi furentes, ad ciuitatem & in ipsos carceres vsq;, posthabito omni astante populo, comitantur, vbi fœmellæ quidem ad stationes siue stabula sua properant, carceres vero statim occluduntur, vt exitus bestiis illis nullus pateat. Quo facto captiuas sese videntes, sæuire admodum incipiunt, exitum vi summa quærentes, donec defatigato tandem corpore subsistant, atque ita stabulis sese includi patiantur, vbi per dies octo cibi potus ve nihil gustantes, cicures tandem redduntur.*

XX.

FESTVM REGIS IN *PEGV* SOLENNE.



Abent in Pegu *multa festa, inter alia vero vnum maximè solenne & celebre, quod* Sapan Giachie *vocant. Hoc cum instat, Rex & Regina in curru triũphali, auro vndiq; obducto, considentes ad locum huic festo destinatum, qui 12. leucas ab vrbe distat, tali pompa & ordine proficiscuntur. Præcedunt initio multi hastati, sequuntur deinde Sclopetarii, mox sagittarii, & tandem gladios gestantes aliqui. Post illos aulici Regis incedũt, & cum illis mixti Elephantes aliqui. Currum Regis proximè præcedunt duo rubri & quatuor albi Elephantes, ipsum vero currum octo Equi generosissimi protrahunt, comitanturq; eum nobilitatis pars potissima, viri nimirum & mulieres, equis elegantissimis insidentes.*

XXI.

FESTORVM QVORVNDAM ALIORVM in *Pegu* adumbratio.



P*Ræter festum supra adumbratum adhuc aliud habent* Sapan Daiche *dictum festum nẽpe aquarum. Hoc enim festo Rex cum familia sua regia, ad certum locum magnificè delatus, curru descendit, & aqua rosarum suos aspergit, atq; rursus à suis aspergitur. In primis vero aulici & præfecti Regii sese inuicem aqua rosarum ita aspergunt, vt quasi flumine mersi, toto corpore madidi appareant. Festo quodam alio, quod* Sapan Donon *vocant, naui vndiq; inaurata Rex cum Regina, & aulicis nobilibusq; suis præcipuis ad vrbem* Menao *traiicit, vbi domum regiam habet elegantissimè exornatam, vnde ludos contemplari possunt, quos nobiles aulici centenis sæpe nauigiis in mari congregati Gynæceo exhibere solent. Duobus enim singuli remigibus vtentes, ad certam aliquam metam velocissimo cursu feruntur, quam qui primus assequitur,* Pagodo *siue idolo quodam aureo; secundus argenteo donatur. Vltimus vero linteum à Gynæceo dedecoris notam accipit, quo partes pudendas contegat. Præterea etiam dies quosdam habent lauandis sacerdotibus monachisq; suis destinatos, quibus quidem diebus congregati incolæ aquam illam, qua sacerdotes sese abluerunt, colligunt & ex summa deuotione in potum postmodum adhibent.*


XXII. SE-

XXII.
SEPVLTVRÆ REGVM ET SACERDOTVM IN *Pegu* delineatio.



REGE *aliquo in* Pegu *defuncto, parantur ab amicis eius duæ preciosissimæ naues, ita vt sibi inuicem cohæreant, has inaurato tegmine contegunt, & in altera earum tabulatum quoddam siue rogum auro obductum construunt, huic postmodum rogo corpus defuncti Regis imponunt, igne ex odoriferis lignis excitato, comburendum. Permittuntur autem naues flumini, additis quibusdam sacerdotibus siue monachis, qui cinerẽ postmodo adhibito lacte in massam redigant, & in aquam demittant. Quod si vero Sacerdotum siue monachorum, qui* Talapoi *ipsis dicuntur, aliquem mori contingat, reliqui post multas solennitates corpus eius rogo impositum ad littus maris deferunt, adhibitis lignis odoriferis comburunt, cineremq; inde collectum in aquam abiiciunt, ossibus, quæ forte supersunt, iuxta ædificium defuncti monachi in terram defossis atque sepultis.*

FINIS.








GAUDEO